QUAESTIONES OVIDIANAE CRITICAE.

QUAS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
D. XII. MAI. HORA LOCOQUE CONSUETO
PUBLICE DEFENDET

RUDOLPHUS MERKELIUS
CIZENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

[I]DR. AUG. ECKSTEIN
[ER]NST. MATTHIAE } PHILOS. DOCTORES.
[CA]ROLUS SCHEIBE

HALIS
TYPIS BAENTSCHIANIS.
1835.

PARENTI OPTIMO,

LIBERAM STUDIORUM RATIONEM
PERMITTENTI,
PRIMI RUDIMENTI AEQUO IUDICI
LAETIOREM DEO PROPITIO PROVENTUM
OLIM VISURO

D. E. V.

FILIUS.

FR. GOD. GUIL. HERTELIO

LYCEI ZWICCAVIENSIS RECTORI,

HORUM STUDIORUM FAUTORI,

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Accipe Herteli, Vir doctissime, bonique consule brevis libelli munusculum, quem cum integro abhinc semestri conscripserim, longa exspectatione dignum vix appariturum, cum dolore auguror. Ac nolim equidem hunc defectum novorum et maiorum potius sponsione compensare, quam ab humanitate Tua impetrare excusationem. Illud enim in incertissima omnium rerum fortuna positum est, hoc in persuasione et fiducia benivolentiae Tuae in me haud paulo certiore. Is enim Tu fuisti, qui me, cum bibliothecarum copias lustrandi primum facerem periculum, bono et exoptato maetasti augurio; quod si in persequendo consilio ratum habuero custodesque bonorum librorum aut Tui similes, aut, si hoc nimium sit sperare, comitate non multo invenero inferiores, subsidia critica minus fortasse deerunt, quam utendi facultas. Sed quoniam de iis, quae futura sunt, Dii viderint, e multis, quae per Te, Vir Praestantissime, iam profeci, quorum quandocunque ratio reddetur, promiseram tibi facta occasione ea communicare, quae in codice bi-

bliothecae Zwiccaviensis Metamorphoseon, quo aliquamdiu usus sum, melioris frugis repererim. Is codex non ineleganter scriptus ac dimidia tantum parte collatus a Iahnio V. D. altera illa, libris VII. prioribus et glossematum largam messem praebebat, quorum interdum fructuosa, saepius tamen molesta esset perscrutatio et scripturas a prima, altera, tertiave manu eas, quae cum melioribus in Germania codd. in primis cum Rhenoviano Bachii plerumque convenirent. Quin eadem in regione eum vixisse, qui glossas et variantes primae manus adscripsit, non levibus argumentis ductus puto. Sed neque est, cur Te, vir doctissime, locorum memorabilium multitudine onerem et dabitur aptior plura disputandi occasio, si duorum hactenus incognitorum Metamorphoseon codd., quorum spes mihi facta est, usus concedetur. Quamobrem quaedam hoc tempore enotabo, quae propria sunt eius, quem dixi, codicis, et quanquam idem fortassis in me cadere existimabis, quod in omnes, qui in meliorum librorum tractatione sunt tirones, adblandientibus primo intuitu scripturis ut capiantur, tamen quantulumcunque bonae utilitatis Metamorphoseon carminis illustrationi afferent. — Itaque cum lib. I, v. 476 e pervulgata librariorum consuetudine, qua vocum aspirationes nullo paene delectu aut perverse ponuntur, aut perperam omittuntur et propter reliquarum litterarum similitudinem utrumque legere liceret, et:

Quod facit a u r a t u m e s t, quae est vulgata, et: Quod facit h a m a t u m e s t; quemadmodum etiam II, 799 paulum interest in hoc codice inter:

amatis: et: auratis, malui hoc posterius pro Zwiccav. cod. scriptura enotare; quod multo vulgata aptius esse nemo, opinor, infitiabitur, cum et aliis poetis de hamatis Amoris sagittis sermo sit, velut Prop. III, 2. et hoc loco ita tantum in voce: auratum acumen inesset, si de materia spiculorum diversa ageretur. Iam cum plumbo sub arundine v. sq. nihil denotetur, nisi idem quod verbo: obtusum, pulchrior erit oppositio in cod. Zwic. scriptura quam in vulgata. — Eiusd. libri v. 649. vulgata, quam Iahnius retinuit: Tu quoque, care pater, nunc immortalis; sed Heinsius ex optimis quibusque libris, quod etiam multi post illum collati in Germania confirmarunt; non iam mortalis. Illa nimis vulgare quid sonat, hoc nescio quomodo positu verborum offendit; quo fit, ut admittendam putem Zwiccaviensis auctoritatem, id suppeditantis, ex quo utrumque illud derivatum esse potest: iam non mortalis, quod Ovidii loquendi consuetudini accommodatissimum dixerim. Assolet enim Ovidius post alios ea, quae simplici adiectivo exprimenda erant, ornatu poetico contrarii sensus vocabulo addita particula negativa efferre, sed quae arcte praecedere illud soleat. Legitur ita F. I, 147: gratesque deo non territus egi; 344: non exiguo laurus adusta sono; 356: talia non tacito dicta dolore dedit; 506: non sano ter pede texta ferit; 552: non leve malum; Her. 12, 33 et quovis fere praeterea libro. Transpositione autem vocum per librarios nihil est communius et possemus multa eius rei exempla e cod. Zwic. afferre, quibus haud paulo in illo numerosior oratio fluere videatur.

Eiusd. lib. v. 855. Non iniuria Nic. Heinsius, qui haud raro de locutionum apud poetas elegantia plus aequo erat sollicitus, hoc quidem loco vulgata comtius et ornatius quid desiderasse videtur. Nam in adnotatione cum praetermisissit hunc versum, in adversariis a Burmanno editis suasit legendum: Cornua vara quidem, sed quae contendere possis. Neque dubito, si cod. Zwiccaviensem nactus fuisset, probaturum fuisse id, quod et aeque est elegans et qualiscunque tamen libri auctoritate nititur. Nam in eo cod. altera manus in rasura vulgatam ita scripsit, ut dignosci non aegre possit, fuisse a prima manu: Cornua prima quidem. Iudicabunt periti: certe et vulgata commode pro huius scripturae glossa haberi poterit, et manifestius etiam in illa, quam in vulgata, constiterit usus dicendi Ovidianus, nondum, uti puto, illustratus a quoquam; nam recentiorum editorum doctissimis negotii nonnihil facessivit, quo per sed particulum enunciata connectuntur nulla cogitandi necessitate coniuncta, velut cum dicitur: Fast. IV, 686:

Is mihi multa quidem, sed et haec narrare solebat.

V, 99: Sacraque multa quidem sed Fanni prima bicornis
Instituit.

Met. VIII, 283: Aprum, quanto maiores herbida tauros
Non habet Epirus; sed habent Sicula arva minores.

Fast. VI, 139: Est illis strigibus nomen: sed nominis huius

Causa, quod horrenda stridere nocte solent.

IV, 686: natalia rura

Parva, sed assiduis humida semper aquis.

Tr. V, 13, 5, 6. Perque dies multos lateris cruciálibus uror,

Sed quod non modico frigore laesit hiems.

Ubi permolestum illud: sed appellat editor Lipsiensis et, quod non opus erat, puto, emendare velit:

Me quia non modico frigore laesit hiems.

Lib. III, 242. Quoties hunc locum legebam et versus proxime praecedens me vexavit, et in hoc mirabar, quid esset, cur et Heinsianorum codd. praestantissimi et plurimi et Ialiniani tantum non omnes exhiberent:

At comites rapidum solitis latratibus agmen

Instigant.

Nam Heinsii explicationem de clamore et hortatu latratum caninum aequante non poteram probare. Iam vero Zwiccaviensis codex hanc glossam in margine habebat adscriptam: canis cum cane habet cognatas voces. Unde mihi suspicio nata est, scriptum fortassis olim fuisse ita:

At comites rapidum sociis latratibus agmen,

eamque scripturam posthac intercidisse, servata tamen ea glossa, qua illustraretur. Ac neque latratus socios putabam ab Ovidiano dicendi more longius recedere, qui toties: socias dapes, socios penates, F. IV, 496 socias vias dixerit: et illud: agmen latratibus rapidum conferri

posse videbam cum torrente montano flumine rapido Virgilii Aen. II, 305. Sed tamen num verum sit commentum, non confirmaverim, multoque minus de recipiendo propter codd.: latratibus exhibentium multitudinem auctor esse velim, nisi si qua gravior auctoritas id sustentaverit, quod de nostro addidimus.

Lib. IV, v. 326. Zwic. libr. seorsim a reliquis ita habet:

Si qua tibi coniunx, si quam dignabere taeda,

qua in scriptura voci: tibi recentior manus superaddidit: ést, vocabulo autem: coniunx (ita enim semper extat) superpositum: sponsa, sed non eo scribendi modo, quo variantes scripturae laudari solent, sed minutiori illo, quo glossae. In margine legebantur haec: uxor est nomen dignitatis, coniux est sodalitatis nomen: cuius adnotationis auctorem nec ipsum vulgatam scripturam: Si qua tibi sponsa est, ob oculos habuisse apparet. Uti etiam v. 326 ad: aliqua glossarum sunt verba: si habes uxorem, si tibi uxor sit. ad v. 328: nulla tibi uxor est; sim: uxor futura. Illam igitur scripturam haud temere spernendam putaverim, sive ita intelligenda sit, ut coniugis appellatio sit pro sponsa, velut factum Her. VIII, 68, sive ita, ut eodem, quo postea modo alterum utrum pro vero ponat, aut uxorem duxisse, quod in iuvene quindecim annorum ex heroici temporis moribus interpretandum esse videtur, aut non duxisse, igitur posthac ducturum. Quod ideo placere possit, quia familiares Ovidio esse constat

enunciatorum oppositiones, et earundem in novas orationis partitiones, sicuti h. l. fit per: sive — sive,. distributiones. Et dispiciendum etiam opinor, an in sequenti quoque versu Zwiccaviensis libri sit probanda scriptura: Et tibi sive aliqua est. Certe enim neque illa coniunctio: Haec aliqua offensione caret, neque ceterorum librorum aeque placet auctoritas: Hic tibi, nunc tibi, sed tibi, etc.

Sed gravioris momenti est locus eiusd. libri v. 598, quem locum non recte a tot Ovidii interpretibus intellectum esse, quovis pignore contenderim; nec satis emendate legi, videor mihi posse probare. Nam si eam rationem sequaris, quam contra Heinsii coniecturas sane otiosas praefracte tuentur interpretes a Maximo Planude ad Bachium et B. Crusium omnes: assuetaque colla petebat;

Quisquis adest — aderant comites — terretur; at illa

Lubrica permulcet cristati colla draconis.

Et subito duo sunt iunctoque volumine serpunt,

quivis subtilior iudex inter versum ultimum et qui praecedit hiulcam esse narrationem, animadvertet. Cumque interdum soleat abrumpere descriptionem, sed ut plurimum tamen ipsas corporum mutationes plene persequatur Ovidius, hoc loco quae v. 594 praecedunt: cur non Me quoque coelestes in eundem vertitis anguem, faciunt, ut posteriorem exspectes rationem. Accedit, quod prorsus praeter rem istae Harmoniae ponuntur blanditiae. At contra sarta tecta omnia habebis, si admittas alteram codd. scripturam, quam, uti saepis-

sime praestantiora, pro variante exhibet Zwiccavianus: — at illa

Lubrica perlucent cristati colla draconis.

Illa referendum est ad assueta uxoris colla, quae petebat transformatus Cadmus. Lubrica colla draconis pro appositione, quae dicitur, adduntur, illa enim colla uxoris in draconis coeperant abire. Iam et sequentia commode adiunguntur, et quae praecedunt de terrore comitum rectiorem habent explicatum, et oratio nascitur in talibus usitata, eum per at particulam novum nec exspectatum inducunt poetae. Cfr. Hor. epp. I, 1, 98:

— ne se penuria victus
Opprimeret metuebat; at hunc liberta securi etc.

Hanc igitur ut veram, puto, loci sententiam eliceremus, non nihil contulit liber Zwiccavianus. Nam si quaeras, num idem sensus possit inesse lectioni ab editoribus omnibus probatae, certe multo erit figuratius minusque perspicue dictum, si anguis iam factus dicatur permulcere illa colla, quae transformantur; magisque ab ipsius mutationis quasi adspectu abducitur lector.

Versu prope insequenti 602 iterum magis ad rem videtur, quod Zwiccav. solus servavisse potest: Quodque prius fuerint placidi meminere dracones, cum vulgo legatur: Quidque. Nimirum quoties reputarent quid fuissent, luctui potissimum, opinor, se dederunt, placidi vero et innocui debuerunt esse, si quales et quod fuerint, non obliviscebantur.

Eiusdem libri v. 731 notatu non indignum esse videtur, Zwiccavianum clare exhibere: pro-

spexit scopulum, quod et vulgato: conspexit elegantius, cfr. VI, 343 nec ita tritum, ut aliorum locorum memoria facile decipi potuerit librarius, nec propter scribendi conpendium potuit confundi cum altero, velut factum VII, 226 ubi Zwic. pro: perspicit: prospicit, minus illud rei et loco conveniens.

V, 646 quod vulgo legitur:

Atque levem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo etc.

quoniam ipsa Cerere, uti patet, currum gubernante paulo difficiliorem explicationem habet dativi: Triptolemo, non inepte forsitan cod. Zwicc.: Triptolemum partimque rudi cet. quod confirmatur glossa alterius manus, tralaticia ea, puto, cum reliquis ex aliis codd.: pontificem Cereris. Collocatio copulae eadem est, qua etiam X, 144; XIV, 30 si Iahnianam, quae verissima est, sequaris lectionem, Trist. II, 532 et alibi non raro utitur hic poeta.

Ac neque VI, 300 aut ab ullo alio codice servatum est, aut contemnendum esse videtur, quod idem liber repraesentat:

De multis minimam posco clamabat et unam.

Ita enim efferre solet poeta, quoties aliud quid inter actionem aliquam factum esse narrandum erat, velut in eodem verbo VI, 386:

Ah piget, ah non est, clamabat, tibia tanti;
Clamanti cutis est direpta

et in alio: VII, 378:

— cuncti cecidisse putabant;
Factus olor niveis pendebat in aera pennis.

Nos in posteriore versu adderemus: interim vel tale quid. Eodem igitur modo etiam hoc, quem attigimus loco sequitur: Dumque rogat pro qua rogat occidit. Lib. VI, 634:

Cui sis nupta vide Pand. nata marito:
Degeneras. Scelus est pietas in coniuge Tereo.

Ita distinctis verbis interpretes quotquot sunt omnes nudum illud et molestum: degeneras aut, ut fit, commotiore loquentis animo excusant, aut contra plurimorom librorum auctoritatem immutare sunt conati. Quibus multo solertius ac scitius is, qui codd. Zwiccav. punctis distinxit et glossematis instruxit (factum enim id a multo seriori manu) interpunxit post: nata et glossam addidit: degeneras a marito. Quam rationem dignam putaverim, quam continuo adoptemus. Satis usitata enim verbi degenerare cum dativo constructio apud poetas aut Ovidio aequales aut ab eius exemplo et auctoritate pendentibus. cfr. Manil. IV, 78; Stat. Thebaide I, 464.

Lib. VII, 580. In hoc versu, qui in plerisque codd. omnibusque edd. ita legitur:

Membraque pendentis tendunt ad sidera coeli,

non temere factum est quod offenderunt boni critici N. Heinsius et I. Schraderus, Capoferreum probantes, qui primus de delendo versu pronunciavisse videtur; imparibus usus argumentis, sed validiore illo, insuaviter coeptum orationis ordinem turbari, qui participiis, sive infinitivis deberet decurrere. Neque sane in codd. Heinsianis et Iahnianis quidquam praesidii esse videtur. Hoc est, in iis, quo-

rum scripturas enotatas legimus. Nam in iis, quae reticentur, pravo Heinsii consilio, puto etiam illud fuisse, vel simillimum illi, quod in Zwiccaviano hodieque extat:

Membraque pendentis tendere ad sidera coeli,

quae scriptura orationi poeticae optime convenit, metro repugnat. Atqui si cum illa compares reliquas praeter vulgatam: tendentia sidera, sidere, tendentes sidera, facile agnoscis librariorum studium metro succurrere cupientium, sensum dum nihil morantur. Quod si semel perspexeris, etiam de vulgata idem statuere non dubitabis. Accedit, quod nihil libentius faciunt librarii, quem infinitivos verborum ut mutent in indicativos, constructionum paulo artificiosiorum prorsus impatientes; pro exemplo sit cod. Zwiccav. v. 629 proximo. Ipsa igitur poetae verba h. l. mecum censebis Zwiccavianum librum exhibere, ordinem turbasse, qui hic fuit:

Membraque pendentis ad sidera tendere coeli.

Scilicet hoc etiam frequentissime admiserunt librarii, ut paulum inverterent verborum ordinem, uti supra dicebam. Metrum enim aut non curant, aut ad usitatum verborum accentum componunt, quemadmodum proximo loco v. 599 Zwicc. habet: Tinxit subiectos exiguo sanguine cultros; v. 643: somnus abit mea vigilans damno visa. Ac eadem hac incuria nostro in loco putaverim verbis transpositis corruptelae postea ausam praebitam. Restat, ut ad excusandam syllabae brevis in arsi

productae licentiam, cuius exempla augeri non debere, erunt forsitan, qui putent, subtilem F. Ritteri V. D. disputationem ad partes vocemus, El. Gr. Lat. p. 140 docentis, artificium id potius quam licentiam dici oportere, tantumque in litteris r, s, t non sine iusta causa eius rei exempla inveniri et laudantis eiusdem cum hoc loco generis Tib. II, 1, 58 Ovid. Met. X, 98. II, 240 aliosque multos. Vale, vir Doctissime.

Scribebam Halis prid. Non. Mart. MDCCCXXXV.

Pars I.

De tempore, quo Ovidii Fasti scripti fuerint librorumque diversa conditione.

Artis criticae cum duo potissimum sint genera, alterum, quod de integris scriptorum operibus operumve partibus disputat, alterum quod verborum et scripturae discrimina diiudicat, quorum neque illud tantum in commonstrandis suppositis versatur, sed etiam in comparandis inter se genuinis, neque hoc in damnanda solum vel sequenda librorum auctoritate, verum in divinationibus quoque et inventis est positum, summa eius artis factitandae est in ipso auctore recte noscendo et contrahenda cum eo familiaritate. Cognoverimus autem oportet cum ipsius indolem, animum, ingenium tum scribendi genus, usum, artificium; quarum rerum illae cum vivendi sorte ac tempore solent esse coniunctae, has a librariorum ut plurimum aut fide aut socordia pendere videmus. Igitur in eo scriptore, qui ipse multas vitae vicissitudines expertus sit, quarum eius opera indicia servare consentaneum est, prius illud criticae genus poterit imprimis exerceri; in scriptis vero, seculorum usu valde tritis alteri, quod posuimus, locus maxime erit. Quod quale sit, licebit Ovidii Nasonis docere exemplo, cuius carmina partim Romae, partim a relegato Tomis, partim utroque in loco scripta, largissimam cri-

ticis copiam faciunt comparandi, disputandi, iudicandi; Quod recte fieri non potest, nisi quo vitae statu, quibus temporibus scribendique vel adiumentis vel impedimentis unumquodque composuerit, reputaveris. Uti nec verba eius multo quam aliorum scriptorum depravatiora poterunt emendari, nisi accuratissime investigata eorum historia. Inde consilium nobis, inpraesenti de Fastorum carminis adornatione, de qua maxime diversas VV. DD. opiniones infra percensebimus, data opera inquirere; idque ita, ut temporum ratione habita, quibus elaboratum esse videatur, reliqua quae dicenda veniunt inde apta velimus esse et consectaria.

Versatur igitur haec quaestio in eo, ut si possit liquido demonstretur, quando ad illud operis genus accesserit poeta, quamdiu inlaboraverit, quo tempore in vulgus ediderit. Quorum si vel unum ignoretur, manca erit disputatio; sed tamen maximum esse momentum in postremo, mox apparebit; de quo etiam maxima est dissensio. Nam quod ad primum, quod posuimus, attinet, de eo unum omnium videtur fuisse iudicium, quod tulit Chr. Jahnius V. D. in dissertatione de Ovidii et Sabini epistolis p. 3., coeptos ab Ovidio Fastos post confecta opera amatoria et supremum Remediorum, ab anno fere V. C. 755., nam certum aliquem indicari, neque licet, neque opus est. Confirmabitur ea res non iis quidem Tristium versibus, quos nescio quem ad finem apposuerit Jahnius, sed ex ipsorum Fastorum libri II. v. 5, sq.:

Certe ego vos habui faciles in amore ministros,
Cum lusit numeris prima iuventa suis.

Idem sacra cano signataque tempora Fastis
Ecquis ad haec illinc crederet esse viam?

Huc licet referre etiam quae proxime sequuntur:

Haec mea militia est; ferimus quae possumus arma;

Quae certe tunc aptissime dicta sunt, si cogites ea esse sripta dum ipse auctor militari aetate est; isto enim quem posuimus anno Ovidius, si recte supputes, annum agebat quadragesimum quintum, cum inter annos 27 et 46 aetas militaris contineretur. Cfr. Heind. ad Hor. sat. I, 1. Tum libri IV, v. 3, 4:

certe maiora canebas;
Num vetus in molli pectore vulnus habes?

et eiusdem v. 9—10:

Quae decuit primis sine crimine lusimus annis,
Nunc teritur nostris area maior equis.

Deinde videndum est de tempore, si resciri possit, quo desierit poeta ei vacare labori; ita enim tertium, quod restat, aut statim in promtu erit, aut poterit elici. Atque commode actum videtur de quaestione nostra, cum ne de hoc quidem dubios nos sinat esse poeta, qui lib. II Tristium v. 549 sq. ita:

Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos
Cumque suo finem mense libellus habet;
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Quorum tamen versuum primus et tertius variis DD. VV. interpretationibus obnoxii fuerunt. Quod enim poeta dicit se sex totidemque libros condidisse, plerique duodecim voluisse exprimere putaverunt, in quibus Burmannus ad hunc locum,

sed is non apto usus argumento; uti nec pro contraria opinione editor anonymus Tristium Lipsiensis, negans satis latine dici sex et totidem pro, duodecim; oblitus fuerat loci Fastorum VI, 729. Prior igitur nobis potior erit opinio, cum altera praeter verborum nimis asperam structuram ter idem poetam dicentem faciat. Sed haec quasi per transennam, neque enim aeque attingunt ipsam hanc quaestionem atque sequentia, e quibus fere tota pendet. Scripsit enim ista poeta exul, et videtur scripsisse de operis sui conformatione priusquam relegaretur; sitne operis eadem ista, quod hodie habemus ratio, nec ne, nostrum erit iudicare; ipse enim poeta de suo carmine nihil ampius diserte prodidit. Atque ut ordine disputemus, versuum allegatorum tertio, cum de inscriptione operis agatur, editores Burmanno antiquiores et recentissimi verba: *tuo scriptum* sub nomine Caesar, explicuerunt de libris Caesari Augusto olim inscriptis ac dedicatis, facillima explicandi ratione, quaeque et verborum usu et sententiarum nexu et rerum natura commendari videatur. Quod enim tempus suscepti operis posuimus haud longe aberat a Fastorum per Augustum correctione, qua credibile est et ad condendum opus et ad Augusto inscribendum permotum potissimum esse poetam; Germanicus vero, qui aliquot annis post inceptum secundum nostros calculos carmen adoptatus est a Tiberio, sedecim annorum tunc erat iuvenis. His igitur ex propatulo argumentis, sed imprimis verborum proprietate niti videtur vulgaris opinio, quam explicatius nemo persecutus est. Contra ea Burmannus interpretatione loci operos,

et molesta id efficere studuit, ut tunc ipsum Germanico Caesari carmen dedicasse Ovidius putetur. Sed maximum in hac re momentum in eo argumento esse apparet, quod Burmannus attulit: „non sibi videri, quod prioribus, quia nullum eius rei appareat vestigium et nunquam ad Augustum orationem poeta dirigat.“ Quod ante reliqua quo iure dixerit Burmannus, cognoscamus oportet. Facillime autem cognoscemus iuxta adpositis utriusque generis locis, quibus aut ad Germanicum aut ad Caesarem Augustum quam apertissime sese oratio convertit. Ac Germanicum quidem honoris causa alloquitur poeta his locis: in exordio v. 1—26; v. 31; v. 63; v. 282; v. 590; v. 700; lib. IV, 81. Ad Augustum autem carmina spectant haec: lib. II, 15:

At tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos,

quibus etsi Augustus nominatim non appellatur, indicari eum, intelligitur. Nomina enim h. l. sunt honores Caesaris Augusti, eodem usu loquendi ac lib. VI, 40., ubi perversissime Burmannus et Gierigius et multo utroque sanius vetus interpres Marsus. Per titulos autem Germanici nequibat ingredi poeta, quippe cuius aut paucae aut nullae res gestae Ovidio vivente in Fastos relatae esse poterant. Sed apertum est h. l. ad Augustum ipsum idem dici, quod I, 15. ad Germanicum ita: Adnue conanti per laudes ire tuorum, h. e. avi et patris adoptivi.
Tum eodem libro v. 65:

Templorum positor, templorum sancte repostor,
Sit superis opto mutua cura Tui.

Dent tibi coelestes, quos tu coelestibus, annos
Proque tua maneant in statione domo.

Quos versus etiamsi de temporibus, quae mirum in modum confundere solent interpretes, uberius infra expositùri sumus, de Augusto, non de Tiberio Caesare accipiendos esse, tamen breviter sic demonstrari poterit. Si de Tiberio intelligantur, uti fecit Massonus, vita Ovidii p. 118, potuit is quidem versu praecedenti appellari sacratus dux, non propter Imperatoris nomen quod abhorrebat, sed propter Augusti nomen hereditarium, quod referente Dione Cassio 57, 8 λεγόμενον ἀκόυων καὶ γραφόμενον ἀναγιγνώςκων ἔφερεν. Tum vero de Tiberio principe post Augusti mortem sermo erit, uti et Massono visum est. Quod si sit, potuisse dici templorum repostorem, fatendum est, ut qui Dione (57, 10) et Tacito (ann. II., 49) testibus aliquot aedes deorum vetustate collapsas coeptasque ab Augusto dedicavit; templorum positor vix poterat appellari, de quo Sueton. c. 47: princeps neque opera ulla magnifica fecit; nam et quae sola supererant, Augusti templum restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit, etc. Si quis vero de Tiberio tribuniciae potestatis socio maluerit interpretari, offendet Palatii quasi non utrique communis domus mentio; deinde, cur utroque vivo tam ambitiose captata occasione Tiberius prae Augusto laudetur, unice merito de templis et religionibus Romanis, cum Tiberius in universum dicatur Suetonio c. 69: circa deos et religiones negligentior; ut de mutua cura non multum potuisset sperari. Contra

de Augusto nihil impedit quin ista intelligantur. Verum eiusdem libri v. 12, sq.

Sancte pater patriae, tibi plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques,

de uno Augusto recte dici, per se patet, ut vix necesse sit ad partes vocare Dionis (57, 8) et Suetonii (25.) testimonium, narrantium pertinaciter recusasse Tiberium istam appellationem.

Itaque et illa 637: bene nos, bene Te patriae pater, non de ullo alio veniunt accipienda, quam de Augusto. Deinde lib. III., 419 sq.:

Caesaris innumeris, quem maluit ille mereri,
Accessit titulis pontificalis honor,

et v. 428. Haec de Augusto interpretanda docet veteris Kalendarii a Graevio in Thesauro editi lemma, etsi post paucos dies Tiberium quoque pontificatum Maximum iniisse Carolus Neapolis e vetere lapide ad h. l. ostendit. — Hi loci quamquam possunt sufficere ad refellendum Burmannum, qui tale quid inveniri praefracte negaverat, tamen constat, non his tantum versibus, ubi nominatim Augustum appellat, contineri quaestionem, utrum huic an eius nepoti inscripti fuisse Fasti sint existimandi, sed etiam iis locis omnibus, quibus paulo honorificentius alterutrum laudat. Nam uti versibus his I, 67:

Dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit,

quae de Germanico, nec iniuria, solent accipi, recte aliquis utetur ad refutandum eum, qui forte negaverit, Germanico unquam quidquam poetam dedicasse, ita, puto, etiam nobis licebit afferre quae-

dam ad Augustum ita, quamvis non invócatum, dicta: Lib. III, 419:

Hoc opus, haec pietas, haec prima elementa fuerunt
Caesaris, ulcisci iusta per arma patrem.

IV, v. 951.

Phoebus habet partem. Vestae pars altera cessit.
Quod superest illis, tertius ipse tenet.
State Palatinae laurus praetextaque quercu
Stet domus; aeternos tres habet una deos.

v. 141:

Mille Lares Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet, et vici numina trina colunt.

Sed ne chartam perdamus prolixa eorum locorum exscriptione, omnes qui restant breviter enotabimus: Lib. IV, 348; VI, 92; V, 570; VI, 645. His fere omnibus magnificis laudibus quasi coram et in os, quod dicitur, extollitur Caesar, ut haud multum intersit, invocaverit, nec ne. Sed restant aliquot loci, qui cum in utrumque quadrent, et Augustum et Germanicum, non sunt omittendi, quoniam de utro sint accipiendi, iudicium infra feretur. Lib. III, 116; IV, 19, 860; V, 568; VI, 763. Quae igitur carmina ad Augustum spectantia attulimus, ita interpretari solent, qui Burmannum sequuntur, ut per apostrophen explicanda esse contendant; quod cum non prosus possit refelli, quia etiam ad Tiberium, quem certe nunquam carmini patrocinari voluit poeta, talis apostrophe legatur I, 645; tum haec tria notabimus, primum cupidius ista apostrophes figura usum esse poetam, quia totidem fere Augustum atque Germanicum locis ad

partes vocavit, multoque impensius celebravit illum, quam hunc: deinde, in primo libro toto Germanici nomen quasi regnare, a reliquis, si unum locum excipias, exulare; Augusti vero in his rationem haberi, in illo etiam nomen reticeri: postremo quoties Augustus aut invocatur, aut laudibus mactatur, pro vivo eum commemorari. Non enim ii sumus, qui ambitiose negemus, istam quasi duplicem carminis conformationem fuisse in Fastorum carmine, cum ab Ovidio sortis suae iniquitate deponeretur, si plura fortassis sint, quae impediant, quo minus post illos Tristium versus scriptos manum operi denuo esse admotam putemus. Quod tamen secus est et reperiuntur potius multa, quae in exilio abruptum opus, quod dixerat, retractasse eum, fidem faciant. Cuius generis sunt ista Lib. I, 481:

Sic erat in fatis; nec te tua culpa fugavit,
Sed deus; offenso pulsus eo Urbe deo:

quae quasi de se scripsisse poetam, argumento est v. 540: Felix, exilium cui locus ille fuit. Uti et illos versus VI, 665, 66:

Exilio mutant urbem Tiburque recedunt —
Exsilium quodam tempore Tibur erat —

non sine longinquae suae relegationis respectu eum composuisse, cognoscitur e loco Ponticorum I, 3, 81:

Quid referam veteres Romanae gentis, apud quos
Exulibus tellus ultima Tibur erat?

Quin semel aperte queritur IV, 81:

Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae:
Me miserum! Scythico quam procul illa solo.

Et versus I, 389:

Exta canum vidi Triviae libare Sapaeos
Et quicunque tuas accolit, Haeme, nives;

non nisi in exilio Tomitano scribi potuisse, inde constat, quia quas nominat nationes demum illuc profectum adiisse scimus, cfr. Masson ad vitae Ovidianae annum 762. — Hi autem, quos modo posuimus, loci quodammodo repugnant aliis, quibus primae operis pertractationis insunt vestigia, quum aut tempus subindicatur, ut in illis, quae initio notavimus, aut status, ut in his IV, init., in primis 7 et 8:

Scis dea, respondi, de vulnere —
Saucius an sanus numquid tua signa reliqui?
Tu mihi propositum, tu mihi semper opus.

Vix haec in exilio scripserit Naso, si quid ipsi credimus Tr. lib. 3:

Nec domini fortuna mei est, ut debeat illam
Infelix ullis dissimulare iocis.

Uti nec VI, 9:

Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus, si non obstreperetur aquis;

cum toties conqueratur poeta de orae Ponticae insuavitate: Pont. III, 1. Tr. III, 10; 12, 16. Quin nec illa I, 209:

At postquam Fortuna loci caput extulit huius,

et III, 10:

Tunc quoque inermis eras, cum te Romana sacerdos
Cepit, ut huic Urbi semina digna dares;

neque quae leguntur III, 108; V, 93; VI, 298 exul scripsisse videtur.

Alterum vero, quod Ovidium relegatum retractasse Fastorum libros liquido coarguit, est rerum

gestarum mentio facta, relegationis eius anno ab V. c. 762 posteriorum. De quo genere habentur: lib. I, v. 645 sq., ubi loqui poetam de triumpho a Tiberio acto anno 747, de templi Concordiae autem dedicatione, quae facta est ao. 763 (sive ex Verrii Flacci Fastis 762), cum primo anno Ovidius exularet, Massonus docuit vit. Ovid. p. 100 sq. Lib. I, 705 sq. sermo est de templo Castoris et Pollucis dedicato aut paulo post aedem Concordiae, aut eodem tempore, si sequaris Sueton. Tib. c. 20, quamquam a Neapoli ad Gierigium maluerunt editores Dionem audire de anno 759. Verum ei. l. v. 533:

Inde (h. e. e domo Augusta) nepos natusque dei, licet ipse recuset,
Pondera coelesti mente paterna feret,

de Tiberio imperium deprecante intelligenda esse, nemo dubitat; quod per bienium fere fecit post Augusti obitum, si ea perpendas, quae Suetonius c. 24; Dio 57, c. 7 prodiderunt. Post Augusti mortem etiam factum est, quo mox alludit poeta v. 136, traditum a Suetonio c. 102, Dione Cassio 56, 46., Liviam testamento mariti familiae Juliae nomen et Augustae cognomen adeptam esse. Denique v. 285 qui commemoratur Germanici Caesaris triumphus, habitus est anno 770, cfr. Masson. ad eum annum. Horum igitur quinque, quos indicavimus, locorum duos priores inde ab eo anno, quo librum secundum Tristium composuit scribi potuisse, reliquos autem multo etiam serius, certum et exploratum habemus. Hinc quod sequitur hoc est, attigisse poetam hic illic et retractasse hos libros in exilio, neque quae Tristium loco de Fa-

stis produntur plane de iisdem accipienda esse, quos et quales hodie legimus, si forte qua in parte illa descriptio a re ipsa videatur discrepare. Ac locos quidem interpretes etiam notaverunt, in consequentia autem derivanda, dum ulterius progrediuntur, diversa sibi persuaserunt. Massonus enim totum opus usque in scriniis detinuisse Ovidium, neque prius, quam scriptis iis, quae postrema videntur esse, pro absoluto publici iuris fecisse, aliquot locis pronunciavit: p. 93. 118. Burmannus autem, quem secutus est Gierigius, ita videtur statuere, opere antea fere ad umbilicum adducto ista supplevisse et inseruisse poetam. Quarum sententiarum utraque neque inde stricte sequitur, unde derivatur, et obscurum illud relinquit, quod supra attigimus, cur non uno loco in libris posterioribus Augustum tanquam vivum laudet. Nam si anno V. 770 pro absolutis edidit libros Fastorum, Augusto quatuor annis perfuncto, profecto inepte fecisse poetam iudicandum est. Sin prius absolverat, forsitan cum illa libri II. Tistium scriberet, ac tantum istarum rerum passim adiecit mentionem, quae posthac evenerint, non satis intelligitur, cur id fecerit, neque potius antea resecuerit, quae apta esse desierant, qui facilior erat labor. Uterque igitur, quia scilicet ista, quibus Augusti laudes continentur, non satis, quot numero essent, animadverterant, Massonus, quod per se absonum est, Burmannus, quod tumultuarie neque ratione in elimandis libris versantem poetam nobis exhibet, sunt commenti. Nobis vero, si fieri possit, verisimilius quoddam in medium laturis, redeundum est illuc ubi substiterat

quaestio. Eatenus enim digressi fueramus, ut argumentis probaremus, Ovidium ipso relegationis tempore Fastorum carmen intactum non reliquisse: quod si esset, minus probabile esse dixeramus, illam in appellando modo Augusto, modo Germanico inconstantiam, maiorem eam, quam quae aequo animo ferri possit, iam in prima horum carminum elaboratione extitisse; accedente praesertim illo e Trist. petito testimonio, quo id confirmari videtur, Fastorum libros cum in exilium secum auferret poeta, Augusto dedicatos fuisse, non Germanico. Quod tamen nec ipsum, quamvis argumentis munitum, quod ab interpretibus, qui ita iudicasse dicuntur, factum non invenio, qualibet coniecturā certius putari volumus, nisi causae reddi poterunt, quando et cur id factum, ut totius operis conformationem mutaverit poeta, sit putandum. Ac de tempore primum quaerentibus opitulari videtur locus in elegia prima libri V Tristium, qui certe, nisi omnia nos fallunt, perversum in sensum explicari consuevit. Versus sunt hi:

Quod superest, animos ad publica carmina flexi
Et memores iussi nominis esse mei;

Ubi Burmannus haec adnotavit: vulgata satis placet: publica carmina epistolas capio, quas amicis publice legendas misit et ideo in libellos ordinavit;" mutuatus interpretationem a Paulo Merula, qui ita: posteaquam eiectus fui in exilium, restabat, ut amicos flecterem ad legenda haec carmina, quae edita a me omnibus patebunt" etc., atque eundem in modum, ut primi interpretes, qui adscripserant ad: animos, „socios", quae hodie varians lectio ha-

betur, ita recentiores omnes, si excipias editorem Lipsiensem anni 1829, qui primus recte animos mentem et consilium ipsius poetae interpretatur, de reliquis fallitur cum ceteris, dum publica carmina sibi persuadet esse Tristium libros, Amatoriis oppositos; quae enim exempla affert, certe diversi sunt generis. Quod autem unice verum est, pridem Ciofanus protulit, qui ita adnotavit: ut bella scriberent, sive de patria;" interpretatur enim: socios, uti priscae habent editiones. E quibus coniunctis facile idonea interpretatio elici potest, ut nihil novare debeamus. Sensus enim erit: animum meum contuli ad carmina publici argumenti canenda, et dignum volui esse nominis mei h. e. civis Romani nomine: nam secundo versu etsi duorum tantum librorum lectio: sui Heinsio probata fuerit, tamen aptiore legitur sententia: mei; ut idem dicere videatur quod eiusdem libri el. 2, v. 56: Nec mihi ius civis nec mihi nomen abest et el. 4, 21: Nam quod opes teneat patrias, quod nomina civis etc. Fastorum autem carmina et publici erant argumenti et quam maxime poetae Romani opus. Hi igitur versus idem testantur, quod supra abunde docuimus, in exilio poetam Fastos retractasse; verum si quaeras de difficultate, quam versamus, *nullo* sunt usu; nam etsi eo tempore quo sunt scripti, anno 765 Augusti viventis meminisse poterat, et posset locus ille 1, 285 de triumpho Germanici explicari de Germanico post cladem Varianam cum Tiberio non sine spe victoriae h. e. triumphi in Germaniam missi, ut vaticinaretur poeta, uti Norisio olim visum fuit in Cenotoph. Pis. p. 201, multa ta-

men sunt quae impediant, quo minus editos certe eo anno Fastos credamus. Quod si non prius factum esse potuit, quam scriptis iis carminibus, quae seriorum temporum indicium habent, cum Massono anno 730, ultimo vitae Ovidianae, eam rem assignare necesse erit. Ac cum de inscriptione nunc quidem agamus, quam aliquando immutatam fuisse credibile diximus, accurate inquirendum est, quae intercesserit Ovidio cum Germanico Caesare necessitudo, et si non usque a principio addictus illi et commendatus fuit, quando igitur esse coeperit. Cum vero neque in Amatoriis neque in Mett. lib. XV extremo *), ubi Caesarum laudes continentur, neque in Tristium libris eius mentionem fecerit, nisi obiter et flagitante re ipsa, clientela aliove officii genere cum eo coniunctus fuisse non videtur; in Ponticis autem epistolis quae copiosius de eo scripta leguntur, non nihil momenti ad quaestionem nostram habere dixeris, ideoque enotare omnia decrevimus. Ac ne Ponticorum quidem primo libro Germanici nomen legitur, praeterquam quod elegiae ultimae fine Pomponium Flaccum cum Graecino fratre ut „suos uterque deos pro se exorent,“ precatur, quibus verbis Tiberium principem cum Germanico Cae-

*) Eius loci v. 838, qui multam editoribus molestiam creavit, puto de Tiberio intelligendum, ut nihil opus sit aut contortas interpretationes cum Jahnio sequi, aut cum B. Crusio audacissimam Heinsii coniecturam recipere; quod autem praecipue nostrae sententia suffragatur hoc est, quod nequeat intelligi quod dicit poeta Trist. 2, 562: *quoque favore animi teque tuosque canam;* nisi de Tiberio h. l. commemorato, cum in reliquo toto Mett. opere neque Tiberii, neque cuiusqam alius de familia Caesarea iniiciatur mentio.

sare innui, non est quod dubitemus. Ponticorum liber secundus ab elegia Germanico inscripta exordium capit, qua tamen nihil nisi propter triumphum Pannonicum Romae anno 765 celebratum laetitiam poeta testificatur et, cum excusatione opus esse intelligat, cur id sibi arroget, ad unum quemque Romani nominis aeque illam gloriam pertinere, affirmat; neque toto carmine quicquam invenias, quod paulo arctioris coniunctionis indicium faciat. Cum vero in sequentibus libris aliquanto studiosius Germanici eum meminisse videamus, cuius rei causam putaverim amicorum communium commendationes, velut Pomponiorum, quos nominavimus, eius, cuius nomen sitne Salanus, vel aliter, adhuc dubitum est, ad quem data est epistola libri Pont. 2, 5; quippe v. 40 dicitur:

Te iuvenum princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studii Caesar habere solet;

et sub finem:

Iure igitur studio communia carmina vestro
Et commilitii sacra tuenda putas.

Ita Suillii generi IV, 8, quae elegia tota huc pertinet. Haec cum ita sint, tamen nulli istorum locorum, velut III, 4, aliorum plurimorum, mentio inest operis alicuius antea Germanico ab Ovidio dedicati; quin eleg. IV, scriptae post annum 767, versus 40, 43:

Nec tibi de Pario statuam, Germanice, templum
Marmore —
Naso suis opibus, carmine gratus erit.

et 64: Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
Restat in ingenio, serviet omne tibi,

cogitasse enim tunc temporis de carmine in eius honorem faciendo demonstrant, antea fecisse vero redargunt; dubium enim vix est, aut admoniturum fuisse hoc loco, si edidisset, aut si ineditum servasset, confessurum. His igitur de causis cum persuasum nobis sit, seriori demum exilii tempore Nostrum in Germanico spes quasdam de sua salute reposuisse, fretum studiorum coniunctione et amicorum precibus, neque facile ante Augusti obitum aut Fastorum opus aut quicquam aliud carminis illi consecrasse, ut iam his pro confecta eam rem videamur posse habere, licebit tamen plura etiam afferre, quibus id Fastorum Germanico inscriptorum tempus fuisse, intelligatur. Nam quoniam quae isto, quod laudavimus, carmine v. 90 dicit:

Sed dare materiem nobis, quam carmina maius;

et isto sub finem disticho:

Unde tuas possim laudes celebrare recentes,
Magnaque cum minima facta referre mora;

rerum bello gestarum gloriam spectare et carminis heroici promissionem continere videntur, miretur aliquis, cur potius quam illud, hoc dierum opus, quod dixit, Germanico oblatum voluerit. Atqui hunc eundem Arateorum Prognosticorum et Phaenomenorum latine expressorum, quae partim exstant, auctorem esse, plurimorum hodie VV. DD. est iudicium; ut facile, si tempus competat, eorum carminum editio, propter argumenti nimirum summam convenientiam, id consilium Ovidio potuerit suppeditare. Quae quidem opinio pluribus Phae-

nomenon Germanicianorum locis apprime adiuvatur. Nam quae statim ab initio leguntur:

Ab Iove principium magno deduxit Aratus
Carminis; at nobis genitor Tu maximus auctor;

ad Tiberium patrem adoptivum scripta esse, facile conceditur. Quod si est, spectare ad Tiberium nomine principis rerum potitum, non adscitum tantum Augusto superstite in Tribuniciae potestatis communionem, fidem faciunt sequentia: Te veneror, tibi sacra fero, quae temporum Augusto seriorum referunt consuetudinem, qua divinus honor Tiberio quamvis invito deferebatur; qui mos a poetarum usu gliscere coepit. Ac deinde:

Quantum etenim possent coeli certissima signa —
Si non parta quies Te praeside puppibus aequor
Cultorique daret terras, procul arma silerent? —
Haec ego dum laetis conor praedicere musis
Pax Tua Tuque adsis nato numenque secundes.

Invidiosa enim fuisset Augusti mentio omissa, si ante annum 767 ista scripta cogitare velis, quo auctore et publica quies stabilita et ipse Germanicus in familiam Caesaream adscitus fuerat; quae tamen reticeri poterant avo adoptivo exstincto. Accedit v. 185, ubi cum de Cepheo dixisset:

Iasides etiam coelum cum coniuge Cepheus
Ascendit totaque domo, quia Iupiter auctor

Est generis —

addit: — prodest maiestas saepe parentis; respectu habito iterum Tiberii; cui certe maiestatis appellatio optime conveniebat post Augusti mortem et rerum potito et Augusti cognominis heredi. Et quanquam Suetonium c. 15, maiestatem Tiberii dixisse scimus, collegae tunc quidem in principatu, tamen hoc loco simul cum Iove videtur conferri, quae comparatio Principis cum summo deorum Augusti tempore fuerat usitatissima, cfr. Hor. carm. I, 12 fin. Ovid. Trist. II, 40. et locis innumeris. Ut in eius locum videatur subiisse Tiberius. Contra eum v. 3. carmen suum „docti laboris primitias" appellet Germanicus, huic, de quo agitur tempori, Augusti obitum quod proxime sequutum est, conveniet ista appellatio, quippe quo Suillium studiorum moderatorem eum habuisse e carmine Pontt. supra laudato intelligatur; multo seriori non videtur convenire, quia Augusto moriente annum fere iam vigesimum septimum agebat Germanicus. Ac sane cum serius vix illud opusculum edere potuerit Germanicus, si vel minus commode, quae modo exposuimus, congruerent, tamen verisimile foret, ista Arateorum Germanici conversione Ovidium permotum fuisse ad similis argumenti carmen ei consecrandum; de temporc autem, quo id factum sit putandum, satis iam superioribus argumentorum collegimus, quibus ante Augusti obitum vix probabiliter de ea re cogitari posse, appareret. Quanto autem post annum 767. V. C. intervallo id consilium cepisse poetam censeamus, id quidem pendebit ab illorum locorum interpretatione, quos

serioris temporis indicia habere, supra indicavimus. Quorum qui novissimus videtur esse, denuo est recensendus. Nam si accurate perpendas, quae dicuntur lib. I, v. 285:

Dixit et attollens oculos diversa tuentes
Adspexit, toto quidquid in orbe fuit:
Pax erat et vestri, Germanice, causa triumphi,
Praebuerat famulas iam tibi Rhenus aquas.

Cum ista pax nequaquam stricto verbi sensu sit intelligenda (Tacit. Ann. 2, 29, 41.), qualis certe multo demum post effecta est, e diversis VV. DD. opinionibus, quorum Massonus censuit de ipso triumpho, habito anno V. C. 770, verba ista esse accipienda, Norisius, Cenot. Pis. p. 201, non de acto iam triumpho loqui poetam, sed de habendo augurari, potest haec ultima praestabilior videri, modo ne scripsisse poetam vivente adhuc Augusto pronunciavisset Norisius. Quin auguratum eum esse, vix dici potest, sed Senatus Consulti tantum meminisse, quo biennio antequam habitus est, Germanico decretus erat triumphus, vid. Tac. I c. 55 Annal. Hinc fit, ut inde ab ao. 768 ille versus scribi potuerit, et ut isto ipso biennio scriptum paene malimus existimare, facit loquendi genus usurpatum a poeta: videtur enim, quia e duobus, quae sunt victoria Germanici et triumphus, quorum triumphus Romanorum sensu amplius et magnificentius fuit, alterum modo commemorat causamque maioris illius ornamenti dicit, voluisse subindicare, expectari etiamnum necdum reapse celebratam triumphi ceremoniam cfr. eandem locu-

tionem I, v. 713. Ita igitur si statuamus, illos versus scriptos esse licebit eodem fere tempore, quo illos I, 533.

Inde nepos natusque dei, licet ipse recuset,
Pondera coelesti mente paterna feret.

quos si penitus perpendas, vel omissa Patavini cod. scriptura: usque recuset, tamen secundum temporum rationes grammaticas accipiendos nobiscum senties esse de Tiberio tunc ipsum recusante; eiusdem ordinis enim sunt: recuset — feret. Quod factum, ut supra diximus usque, ad annum 768, si modice computes. Re vera enim, dum usque recusat Tiberius principatum, tamen vi et specie dominationis assumta tenuit, referente Suetonio c. 24. Denique favebit huic opinioni ea res, quod libris e Ponto absolutis, quorum supremum carmen ad annum 769 pertinet, nullo temporis intervallo ad aliud genus se contulisse poeta videtur; sicuti Tristibus ad finem perductis Pontica exorsus fuerat. Levia sunt, uti videtur, quae propter eo, quem posuimus, anno Ovidium ad Fastos retractandos et Germanico inscribendos accessisse statuimus. Ac si quis iusto subtiliora existimat, quae de versu I, 285 diximus et nihil impedimenti credat esse, quin cum Massono re vera actum triumphum intelligamus, non deerunt quae quodammodo eam opinionem sustentare videantur. Apud Tacitum nimirum, Annal. II, 41, triumphi a Germanico habiti commemorationem e vestigio sequitur Tiberii consilium relatum, quo Germanicum specie honoris a se amoverit, decreto Senatus facto, quo omnes illi provinciae, quae mari dividerentur, per-

mitterentur; quod munus nec cunctanter adiisse Germanicum videmus, qui sequentis anni consulatum Nicopoli iniisse refertur, dum per Illyrici et Graeciae oras hic illic aut locorum visendorum gratia, aut rebus intentus gerendis, commoratur, et, quod imprimis memorabile, os Ponticum ingreditur, priusquam ad Orientis provincias obeundas sese contulit. Quod iter vix consentaneum est, inconsulto nec sedulo institutis rationibus eum agressum esse; cuius consultationis cum participes fecerit amicos, potuerit per illos, quorum pluribus familiariter utebatur Ovidius, etiam hic litteris fieri certior.

Nam certe nonnihil intererat Ovidii, scire, possetne Principis filium aut coram venerari aut propinquius consalutare litterisque vel carmine implorare; et videtur eadem opera et de triumpho et de itinere a Germanico suscipiendo epistolis potuisse edoceri. Nisi forte id fieri nequivisse quis ideo censebit, quod eo ipso anno 770 V. C., quo et triumphasse Germanicus et Roma profectus esse dicitur, obiisse Ovidius traditur ab Hieronymo in Eusebiano Chronico. Quod enim Hieronymus lemma in eius operis versione numero MMXXXIII adscriptum reliquit: „Ovidius poeta in exilio diem obiit et iuxta oppidum Tomos sepelitur,“ pertinet id, uti VV. DD. viderunt, ad annum istum, quem diximus, secundum calculum Varronianum. Ad amussim enim respondet ille numerus consulibus in libro secundo Eusebii ipso consignatis L. Pomponio, C. Caecilio. Quia vero eatenus Hieronymus a graecis Eusebii discessit, ut annum, quo Augustus obiit, primum Tiberiani principatus faceret, cum

Eusebius sequentem maluisset, et vero Augusti obitum numero praecedenti attribueret, videtur ea res in errorem induxisse magnum Iosephum Scaligerum, qui de triumpho Germanici, qui eidem numero adsignatur, ita adnotavit p. 168 ed. Lugd. cum Taciti locum supra allegatum posuisset: „Hi consules fuerunt numero superiore. Quare unius anni metachronismus est. Et ne putemus errorem librariorum, *quartum annum Tiberii* agnoscit Orosius.“ Vides istam Tiberii annorum diversam computationem summo critico offecisse, qui priore adnotatione recte Pomponio et Caecilio Coss. Ovidium decessisse, agnoverat. Quod idem Nicolao Heinsio accidisse putaverim, qui ad IV Pontt. 9, 58: „Ao: 769. *biennio* post Augusti excessum obiisse in exilio Nasonem, Mariani Chronicon asseverat. Rectius quam B. Hieronymus, cuius calculum si sequamur, Ovidius totum fere quadriennium Augusto Caesari supervixit.“ Cur Hieronymo obtrectaverit Heinsius, non patet: verum si annus 769 est secundus a morte Augusti, certe annum 770 non posuisset quartum, nisi perquam obiter inspecto Hieronymo: et miro modo videtur unum et eundem annum in tres annos diducere; quod enim de Mariani chronico prodidit, nescio an id nunquam ipse inspexerit, sed depromserit istud indicium e Vinandi Pighii annalibus II, p. 546; qui cum uteretur aera Capitolina, anno 769 illud e Mariani chronico de morte Ovidii adscripsit, nec tamen inferius Eusebium idem habere, reticet. De Pighii autem accuratione non licet cognoscere, cum Mariani liber ad manum nobis nunc ipsum

non sit. Igitur cum Hieronymus e Suetonio videatur enotavisse, Ovidium Coss. Pomponio et Caecilio, quibus iisdem consulibus istud decretum factum est, de provinciis a Germanico obeundis, quaeritur, an de futuro huius in Pontum adventu temperi certior fieri Ovidius poterit, ut ea spe ad opus refingendum sese accinxerit. Licebit autem animo informare, occubuisse Ovidium extremo demum anno, quoniam de die et mense nihil traditum legimus. Quod quidem tum non liceret, si probabilia ea essent, quae, Massonus vitae Ovidianae p. 119, repetivit, oli iam ad vitam Horatii p. 222 et sub fin. prolata, Eusebii annos decurrere a mense Septembri, nec nisi octo mensibus congruere cum iis, qui consulibus designantur. *) Orta

*) Cum ante aliquot annos animi causa de operum Horatianorum temporibus dispiceremus, illo Massoni iudicio de chronologia Hieronymi ita usi fueramus, ut carmen 24 libri primi odarum de morte Quintilii Cremonensis ao 729 V. c. compositum poneremus; quo facto carminum chronologiam ita descripseramus, ut plana et dilucida omnia essent, in quibus interpretes a Massono ad Vanderburgium sategerunt. Iam postquam errasse Massonum nobis persuasimus, lubet hoc loco paucissimis exponere, quid hodie de illa re sentiamus, Kirchneriani quoque libelli admoniti lectione, quo doctus ille vir dum Bentleianae audaciae crimen vitat, contrarium subiit. Nam si Sermorum libros, quos tamen iniuria uno tempore aut elaboratos, aut certe editos putat K., cum toto elocutionis artificio inter se sint diversi, et epp. librum alterum omittamus, cetera, quae protulit, continua errorum serie inter se cohaerent, dum de cuiusvis libri editione argumento utitur parum idoneo et deinde ulterius procedit, atque illud ipsum exigebat argumentum. Carminum libros negat ante annum calculi Varroniani 735 in vulgus potuisse prodire propter carmen I, 3; addit igitur unum insuper annum 736, cui carmina I, 1; III, 1, 30; nulla addita causa vult as-

ea opinio, uti videtur, inde, quod qui primum annos mundi computaverunt aut Antiocheni erant,

---

signata. Iam vero cum ep. I, 13 v. 2 et 17 eorumdem carminum iniici mentionem, recte vidisset, quod et nobis pridem persuasum fuit, poterat contentus esse eo ipso anno epistolarum editioni tributo: verum tres integros mavult addere, ut editus sit ao: 739. Hinc epodon etiam libri pendet editio, quia nimirum ep. ultimam libri primi non ad hunc librum, sed ad epodos pertinere sibi persuasit. Igitur non satis habet, epodon librum uno anno serius atque necessarium videtur, absolutum posuisse, argumento non validissimo a carmine secundo ducto, nisi totus liber non nonum sed duodecimum in annum pressus sit, „donec deferbuissent odia et irae;“ nimis sollicitus de Horatii iuvenis liberrimi modestia et prudentia. Denique illinc etiam suspensum esse patet de quarto carminum libro iudicium, quem cum Suetonius testis sit, longo temporis intervallo reliquos secutum esse, etsi res postulat anno 740 summumve 741 editum ut putemus, ad annum 744 D. V. relegavit. Igitur cum miro modo ad hunc diem Bentleii constiterit vaticinium, „viros doctos quoties ab eius decretis recessuri sint, magis magisque a veritate recessuros,“ (nam Vanderburgius si quid video etsi non vera, tamen probabiliora Kirchnero protulerat), videndum, an nos melius Diva Critice respexerit. Nihil autem nobis concedi volumus, nisi ne cogamur, carmen tertium libri primi de Virgilio poeta accipere; de qua re non inepte disseruit Vanderburgius. Si ab isto carmine discesseris, novissimum in libb. tribus prioribus, quos una opera editos cum Kirchnero utique statuendum est, carmen erit III, 5. De carm. III, 8, v. 18 et II, 9, extr. et si quibus aliis locis et adversariis nostris, viris amicissimis, et vero cuivis alii respondebimus. Illud vero carmen III, 5 inepte fecisset poeta, si, quod putat K., scripsisset vel adeo edidisset post signa et captivos ab Augusto receptos, contrarium nimirum Reguli consilium laudans de non redimendis captivis; adde, quod versu primo allusum putamus ad Iovis Tonantis templi, paulo ante expeditionem Parthicam, auctore Dione, dedicationem factam. Iam cum nec in reliquis lib. III eiusdem generis carminibus peractae expeditionis certa indicia legantur et cum in ep. I, 13 ad Augustum non longe absentem Vinius Asella mittatur, missum putaverim ad Principem in Sicilia commorantem an-

quae vulgaris fuit opinio, aut Alexandrini, ut qui ideo annorum initium facerent aut extremum mensem Augustum, aut initium Septembris. Vid. Ideleri V. D. expositionem in libro de chronologia to. II, p. 448. Quos quia secutus est Eusebius, quaeri poterit, composueritne tempora orientis gentium cum Romanis ita, ut Massonus statuit, secundum potiorem annorum partem, an quae Ideleri lib. laud. p. 450 videtur esse sententia, habita initii annorum ratione, ut mundi annorum tres tantum menses Romanis inessent. Deinde, num comparatione ea temporum semel facta; ipse enim Eusebius numeris a creatione mundi ductis consules Romanos adscripsit; Hieronymus in supplendo ex Suetonii scriptis Eusebio idem secutus esse existimandus sit. Ac de Eusebio quidem disquirere nostrum iam non est. Hieronymum autem non eo instituto usum fuisse, quo Massonus sibi persuasit, fidem faciunt reliqua, quae mutuatus est a Suetonio et chronico operi inseruit. Suetonii exstat vita Horatii, qua natus esse dicitur, uti etiam ex ipsis carminibus constat, VI. Id. Dec. L. Aurel. Cotta, L. Manlio Torquato coss. Eos consules in

tequam in Orientem signa moveret; vid. Dionem suo loco. Epistolarum liber I., in quo illa extat, temporum indicia ao 734 posteriora continet nulla; ultima eiusdem libri aut extremo mense Decembri anni 733 aut eodem 734 scripta esse debet, quod fugit VV. DD. Quidni igitur totus liber cum epilogo eo anno editus sit? His ita positis neque opus erit librum quartum carminum, quem occasione victoriae Tiberii et Drusi compositum editumque fuisse Suetonius testatur, supra annum 740 vel 741 protrudere, neque in epodon libro carminis primi contemnere indicium.

graecis Eusebii legimus adscriptos anno MDCCCCLI a creato mundo; qui annus cum ex parte tantum incidat in annum consularem, si ex Massoni sententia octo prioribus mensibus convenire statuisset Hieronymus, adsignandi erant Horatii natales anno sequenti; adscripsit tamen eidem ad amussim numero; et recte ita tempus notatum affirmat Scaliger animadv. p. 142. Persius poeta a Suetonio et natus et mortuus dicitur mense Decembri, cuius tamen annus natalis apud Hieronymum dicitur n. MML, qui numerus in graecis Eusebii eosdem habet coss., quos Suetonius tradidit; et idem factum morte eius n. MMLXXIII, apud utrumque chronicum. Scimus Virgilium natum Id. Octobr. Coss. Cn. Pompeio, M. Licin. Crasso; is est numerus MDCCCXLVII apud Eusebium et eidem ab Hieronymo Virgilii natales adscripti sunt. Mortuus est Kal. Octobr. Sentio Saturnino, Lucretio Vespillone coss., quibus convenit n. MDCCCCXCVIII apud Eusebium atque item Hieronymum. Ac cum hic etiam historica reliqua Suetonii sese excerpsisse testetur sub finem praefationis p. 4, multis exemplis posset demonstrari, Massoni irritum esse praeceptum. Neque nimis foret mirandum, si Hieronymus accuratiore omni eiusmodi computatione supersedisse videretur, et tantum quae apud Suetonium legisset ei numero adsignavisset, cui Eusebius graece eosdem consules adscriptos reliquerat. Ea cum nostra aliquantisper fuerit sententia, non levibus tamen factum est argumentis, ut potius contraria, atque visum Massono Hieronymum spectasse, nobis persuaserimus. Casu enim ac fortuito

factum esse, vix credibile est, quod fere constanter, si quis vir clarus certis consulibus vel natus, vel mortuus traditur prioribus octo anni mensibus, non id factum legitur apud Hieronymum eo numero, quibus isti consules adduntur ab Eusebio, sed praecedente. Exemplum habes Augusti obitum supra commemoratum, mense Augusto, quem ex Suetonio addidit Hieronymus ab Eusebio praetermissum. Quem non legimus adscriptum n. MMXXX, quo Tiberium successisse tamen recte refert, cuique coss. Pompeius et Appuleius respondent apud Eusebium, sed n. MMXXIX, quo nomine acerbe vituperatur chronologus a Scaligero p. 166 animadv. Tiberius decessit Suetonio teste XVII Kal. April. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino Coss. Is est apud Eusebium numerus ,βνγ', Ol. σδ' annus primus. At apud Hieronymum n. MMLII, Olympiadis prioris annus ultimus. C. Caesar Caligula occisus est ipse consul cum C. Sentio Saturnino, cui suffectus est Q. Pomponius Secundus teste Dione 59, 29. numero Eusebiano ,βνξ'. Id vero cum factum legisset Hieronymus apud Suetonium c. 58. IX Kal. Febr. adscripsit numero praecedenti, ut si numeros Hieronymi et Eusebii compares, n. MMLVI obiisse, deinde sequenti consul fuisse videatur Caligula. Et adnotavit Scaliger p. 173: „unius anni prochronismus." Idem adnotavit ad numerum MMXCIV Hieronymi, de obitu Vespasiani, quippe IX Kal. Iun. Hanc igitur Hieronymi si recte animadvertimus consuetudinem, de Ovidii anno emortuali incertum erit, legeritne apud auctorem suum, obiisse Ovidium uno ex mensibus quatuor postremis

coss. C. Caecilio, C. Pomponio Flacco, an aliquo ex octo prioribus, coss. Tiberio et Germanico Caesaribus. Sed est quoddam causae, cur illud malimus, Caecilio et Pomponio coss. Nempe quod eidem numero alterum lemma addidit chronologus: Germanicus Caesar de Parthis (l. Cattis) triumphat," si e Tacito aliove historico accuratius loquente depromsisset, secundum istam suam normam error foret; ductus enim ille triumphus est a. d. VII Kal. Iunias, Tac. Ann. 2, 41.; adsignandus igitur erat ab Hieronymo anno priori, uti alia de causa voluerat Scaliger. Nescio tamen, an ita haec res sit expedienda, ut ex eodem Suetonii loco de morte Ovidii istud lemma derivatum esse statuamus, scriptumque fuisse in hunc modum: Decessit Ovidius coss. Caecilio et Pomponio anno aetatis sexagesimo; quibus coss. de Chruscis Cattis et Angrivariis Germanicus triumphaverat." Unde facile duo lemmata effingere potuit Hieronymus, iuxta apponenda. Sed erunt haec pro coniectura licebitque vel secus existimare, donec aliqua iuvante Fortuna accuratius iudicium ferri poterit. Revertendum ad propositum, ut si recte ponatur, Ovidium anno 770 exeunte, vel 770 ineunte extinctum esse, nihil obstare probemus, quominus et de triumpho Germanici, et de proposita eiusdem profectione certior fieri, et ad Fastorum opus retractandum sese accingere potuerit. Ac si singula reputamus, istud omnium minime dubium est, crebris amicorum epistolis de Urbis rerumque Romanarum statu incertum ignarumque non fuisse Ovidium, quod

si reliqua eius rei argumenta deessent, satis cognosceretur e loco Ponticorum III, 1, 132:

Cum status Urbis erit, qualem nunc auguror esse,
Et nullus populi contrahet ora dolor,
Cum domus Augusti, Capitoli more colenda,
Laeta quod est et sit plenaque pacis erit.

Sed plenae sunt eius rei indiciorum epistolae ex Ponto. Deinde si litteras dederunt amici, ubi de Senatus decreto compertum quid haberent, temperi ut id facerent, amicitiae officium postulabat, et quo arctiori vinculo cum Ovidio vinctos fuisse Suillium, Pomponios, quos potissimum id fecisse consentaneum est, supra vidimus. Igitur si non nimis cunctanter rem gesserunt, quaeritur, quanto temporis intervallo eas litteras sibi delatos habuerit Naso. De quo quidem ex istis versibus iudicandum esse nego, qui extant Pont. IV, 11, 15 sq.:

Dum tua pervenit, dum littera nostra recurrens
Tot maria ac terras permeat, annus abit.

Non desunt enim, quibus multo breviore spatio quam anno dimidio litteras Roma Tomos pervenisse, liquido possit demonstrari. Epistola Ovidii Pont. IV, 9. exarata est ad P. Pomponium Graecinum consulem designatum in anni 769 V. C. partem eam, quae decurrit inde a Kalendis Maiis, uti ex lapide vetusto ingeniose ostendit Massonus vit. Ov. p. 114. Eius epistolae initio optat Ovidius, et serio quidem optat, ut deferatur ante mensem Maium, quo munus initurus sit amicus. Dicit enim:

Missaque Di faciant, Auroram occurat ad illam,
Bis senos fasces quae tibi prima dabit.

Quibus verbis spem expressit, adventuram eam, si recte curetur; alias enim dixisset: Di facerent, ut posset occurrere. Iam vero a Tacito libro Annal. I. extremo docemur, Tiberium novi instituti comitia consularia fine antecedentis anni primum habuisse. His igitur comitiis cum Graecinum consulem designatum fuisse oporteat, uti recte colligit Masson. p. 115, non tantum rescire eam rem potuit Ovidius, sed etiam spem concipere, redituras suas litteras eo intervallo, quod fuit inter comitia consularia, habita, uti secundum Tacitum videtur, mense Decembri vel Novembri et Kalendas Maias, quatuor igitur mensium spatio. Hinc efficitur, ut nihil absonum neque perversum videamur statuere, si tribus mensibus nuntium illum, quem diximus, ad Ovidium pervenisse, animo informemus. Denique si, quod restat, quaeritur, quantum carminis iis mensibus, qui de vitae tempore supersunt, aut componere aut retractare potuerit Ovidius, quem certe promtissimum ad pangenda carmina novimus, ut qui quatuor ad summum mensibus in hiberna profectione librum primum Tristium se confecisse fateatur, de ea re commode tum iudicabitur, si quatenus et quomodo Fastorum libros immutaverit, antea exposuerimus. Hactenus enim ea carmina ab Ovidio exule retractata videri, probavimus, ac inscriptionis mutatio, in qua summa eius operae versatur, quo tempore fieri non potuerit, dilucide videmur demonstravisse; tempora autem, quibus factam necesse sit, certo definiri non posse, coniectura tamen diversa posse concipi ostendimus; quamvis et ipsi ad posteriorem, quam fusius explicavimus,

rationem inclinemus. Neque in antiquitate investiganda nihil ignorare usquam conceditur; quare modo si res ipsa vera sit, cum perspicuum in modum indicaverimus, quomodo retractaverit opus suum poeta, et quem usum ad interpretationem eius rei cognitio habeat, vel sic operae pretium fore ut fecerimus, speramus.

Igitur si iis, quibus diximus, de causis iisque, quae commonstravimus, temporibus Ovidium ad manum denuo operi derelicto admovendam permotum esse placebit, triplici ratione eo labore aut perfunctus, aut quoad licuit functus esse potest. Aut enim, quod primo loco est, libros Fastorum ita ad ultimam metam perduxit et ad unguem perpolivit, ut ante mortem ipse ediderit; quae est sententia Neapolis, Massoni p. 92 et 770, quamque suam fecit Editor Tristium Lipsiensis p. 58; et licebat iis, uti supra vidimus, duodecim librorum opus existimare ab Ovidio ad Sosiorum filios, si qui erant, Romam missos. Alterum est, quod datur, Ovidium non penitus recognovisse carmina, sed hic illic tantum desultoria opera et inconstanter vetera novis versibus interpolasse; ita qui iudicant, Heinsius, uti videtur, Burmannus, Gierigius, si sibi constare velint, de editione Fastorum ab Ovidio facta nihil habeant dicere, quod tamen admisit Gierigius prooemii p. IX. Ineptum enim est neque vero simile, tot sibi contraria in uno opere, quot in Fastis ostendimus, sive alium veterem scriptorem sive Ovidium passum fuisse. Aut denique, quod hucusque nemini in mentem venit, partem operis iusto modo poeta absolvit et elimavit, reli-

qua aut intacta, aut imperfecta destituit morte praeventus. Ovidio Nasoni opus retractanti hoc triplex agendum fuisse dixeris, ut quae praesenti tempore minus essent idonea, resecaret, ut quae apte addi possent suppleret, ut hiulcum et incongruum haud quidquam relinqueret. Quod fecisse eum in primo eorum, qui extant Fastorum libro agnoscitur, in reliquis quinque non aeque. Iampridem a nobis notatum fuit, Augusti nomen fere totum abesse a primo libro, qui pro vivo in reliquis frequentissime laudatur; quia nimirum eo tempore, quod indicavimus, sive fuerit annus 768, sive 770, pridem obierat. Deinde quas res gestas ab Ovidio exule sublectas simul exhibuimus, si respicias, omnes e libro primo enotabantur. Superest, ut singulis in locis nihil esse impedimenti probemus, quin liber primus ita putetur comparatus, qualem et tempus et auctoris consilium postularent. Versu 10, in ipsa dedicatione legitur:

Saepe tibi pater est, saepe legendus avus;

quibus verbis rerum a Tiberio gestarum mentio, suo loco iniicienda, promittitur. Ac sane, cum Augusti viventis commemorationem esse delendam intelligeret poeta, plerisque iis locis poterat Tiberii ratio haberi, ad quem fere omnes Augusti honores delati fuerant; quod cum sequentibus libris cum ipso paene Tiberii nomine omissum videamus, hoc libro factum esse minus animadverterunt interpretes; quod genus locorum statim recenseamus oportet. V. 67 voce: ducibus cum Gierigio non est ambigendum, utrum plures duces, in quibus Augustus, an solus Germanicus

sit intelligendus, sed de Tiberio et Germanico ita dictum putandum, uti de Augusto vivo et Tiberio collega Tribuniciae potestatis olim poetae loquebantur: III Pont. 3, 32. Tr. II, 171. Horat. Od. III, 14, 7. Trist. IV, 2, 44. III, 12, 48. Fast. VI, 92. Atque de Augusto et Tiberio in prima elaboratione scripta fuisse, concedimus, nunc de iisdem intelligenda negamus. Idem iudicandum de versibus 287, 88., de quibus Gierigius tacet, sed refutandus ab eo, uti olim a Burmanno, erat Heinsius, qui legit: sequestrum vel ministrum, et de solo Augusto capiendum contendit. Atqui auctor pacis h. l. dicitur Tiberius uti in Arateis Germanici v. 10., quia una cum Augusto aliquando paci orbis terrarum invigilaverat. V. 529 sq. Gierigius de C. Iulio Caesare, sequens distichon de Augusto, deinde sequens de Tiberio interpretatur, addito, illud postremum mortuo Augusto insertum esse a poeta. Nolumus suspicari Gierigium verba: Et penes Augustos sq., interpretatum fuisse de vivo Augusto, ut continuis versibus modo Augustus vivus modo mortuus sit intelligendus, quod certe posthac eum fecisse videbimus. Sed errat Gierigius cum Webero et priscis interpp., cum v. 530 de I. Caesare accipit; neque enim cum viveret deus fuit, neque ita mansit apud Augustos imperium, sed transiit ad Augustos. Primo disticho innuitur Augustus, qui vivus a poetis deus passim dictus est. Secundum distichon Tiberium indicat, quem non semper Augusti nomen detractasse, supra adnotavimus, quique eo cognomine ab Ovidio compellatur Pont. IV

9, 70. Vox: inde praepositionis vel genitivi vicem sustinet uti et saepissime apud Ovidium et Met. I, 626.

V. 599. Gierigius hoc distichon iterum de C. Iulio Caesare interpretatur, qua in explicatione illustranda erat significatio verborum: petat, sumat, pro: si petiisset, sumsisset. Sed praeter hoc totius loci postulat adornatio ut intelligantur ii versus de Augusto Caesare. Cum dixisset poeta nulli Romanae gentis tam magnificum contigisse cognomen atque Caesari Augusto, primum eos belli duces recenset, qui a populis devictis nomina duxerunt: non igitur C. Iulium Caesarem in eorum numerum potuit referre, qui cognomina nulla habuit, sed ita concludit, ista de victoriis cognomina non singula, sed cuncta in Augustum fuisse conferenda. Pergit, aliis de causis honorifica nomina quosdam adeptos, et quidem alios aliis illustriora; nec opus est eo, quod aliquando nobis in mentem venit, legendum v. 600: ex minimo quidam celebres etc., cum et vulgata lectio a minoribus ad maxima, cuiusmodi Fabiorum est cognomen, progressum contineat, unde concludit poeta, etiam hos titulos Augusti cognomine superari. Si vero v. 599 Caesarem Augustum intelligimus, quaeritur, an de eo ipso, quem mortuum celebrari necesse sit, recte dicatur: si petat—sumat, quod Gierigio obiectabamus. Sed videmur observasse, si vividius et efficacius loquuntur poetae, nonnunquam de re praeterita, quae fieri potuisset, neque tamen facta est, et de re praesenti, quae fieri nequit, contra atque grammatici praeci-

piunt, uti praesentis temporis modo coniunctivo. Habes ita in his ipsis Fastorum libris II: 107.:

— capit ille coronam,
Quae possit crines Phoebe decere tuos.

IV, 122; Ah nolim victas hoc meminisse deas.

VI, 371: Atque utinam pugnae pateat locus; arma capessant;
Et si non possint exsuperare, cadant.

Met. II, 647; — et si modo verba sequantur,
Oret opem nomenque suum casusque loquatur.

II, 170; Nec scit, qua sit iter, nec si sciat, imperet illis.

Trist. II, 68. Non tua carminibus maior fit gloria, nec quo,
Ut maior fiat, crescere possit, habet.

Her. ep. 9, 71: Detrahat Antaeus duro redimicula collo;

praecesserat: si te vidisset Busiris. Eadem v. 168:

Virque, sed o possis! et puer Hylle, vale.

Atqui certa erat, actum esse de Hercule.

Ep. XII, 119: — meritas subeamus in alto
Tu fraudis poenas, credulitatis ego.

vulgaris ratio postulabat: subiissemus, sequitur enim: utinam elisissent. Cum his locis si nostrum contuleris, non offendent praesentia: petat, sumat, pro: petiisset — sumsisset, sententia prorsus eadem.

Sed versu 614 gravius impegit Gierigius, qui ad v. sequentem adnotavit: Heres est Tiberius, cui Augusti nomen hereditarium"; consectarium enim est, ut illum versum:

Augeat imperium nostri ducis, augeat annos,
de Augusto sibi sit interpretatus. Hoc igitur loco ut vivat perennetque optat poeta, quem paulo ante mortuum cogitavit, dum ea attingit quae mortuo ipso demum acciderunt. Qui scrupulus removebitur facillime, si vv. 613, 14 capiantur de Tiberio, ad quem Augusti cognomen pervenisse constat, quemque superius ita a poeta appellatum legimus. Vv. 615, 16 in eam sententiam scripti sunt, ut Ovidius cum illo cognomine domum Augustam perennare optet, futurosque in eo cognomine successores tam fausto auspicio succedere patribus, quo illi usi fuerint. Ac cum hodie sciamus ex Verrii Flacci Fastis, Ovidium duo lemmata hoc loco comprehendisse, coronam quernam Octaviano decretam et Augusti ipsum cognomen inditum, ne illud quidem offendet, quod v. 614 Tiberio dicitur eiusque filiis:

Protegat et vestras querna corona fores,

cum Suet. Tib. c. 26. civicam illum coronam in vestibulo recusavisse referat. Sed nec si semel commemoranda erat corona civica, Tiberium ab eius usu poterat excludere, et vero ipsam rem Ovidium relegatum fugere facile potuisse, fatendum est.

His igitur locis praeter illos, quos recte interpretes explicuerunt, Tiberius celebratur, Augustus vero tanquam vivus libro primo nusquam. Ut nihil obstare putemus, quominus sub finem vitae totum librum primum refictum esse ab auctore ita, uti indicavimus, statuatur; idque eo facilius, si reliquorum librorum ratio, perspexerimus, quam sit diversa. Qua re intelligitur, non ultra

librum primum licuisse Ovidio ei vacare labori, propter vitae, quod supererat, perbreve spatium, cum ad unum librum retractandum paucorum mensium sufficere potuisse spatium videatur.

Hoc igitur nobis postremo agendum est, ut earum rerum, quas accurate observatas in primo libro ab Ovidio docuimus, in posterioribus nihil factum esse, comprobemus: neque emendata vel deleta esse, quae olim apta, eo tempore quo Fastos retractavit, inepta essent; neque quae suppleri debuissent, suppleta; quin aliquot partibus eos libros minus elaboratos videri et perpolitos. Ac primum resecta oportuisse omnia, nec pauca, quibus Augustus aut invocatur, aut pro vivo laudatur, aliquoties supra iam pernunciavimus. Deinde eorum loco Germanici nomen aut Tiberii laudes poni, consentaneum erat, nec omitti ea, quaecunque post relegatum Ovidium ao: 762 domi forisque gesta in Fastos relata essent; cuius generis accurate non semel eos libros perlegentibus ne levissimum quidem indicium nobis se obtulit; nisi quis ea, quae quando acciderint, non satis liquet, velut Templi Magnae Matris restitutionem per Augustum et Liviam IV, 347. V, 157, et Atrium Libertatis a Pollione restauratum IV, 621, annis Ovidii relegatione posterioribus assignanda esse, docebit. Sed multa etiam serioribus temporibus in Fastos fuisse relata, quis possit dubitare? Uno ut perfungamur exemplo: lib. III, 419 poeta celebrat Pontificatum Maximum ad Augustum delatum; lib. IV extr. Vestae in Palatium translationem. Iam vero mortuo Augusto Pontifex Maxi-

mus Tiberius extitit, et eodem mense, quo pater olim, quatuor diebus serius eum honorem adiit, quod e vetere lapide Neapolis ad locum priorem docet, in Fastosque relatum fuisse vix dubium est. An igitur credibile est, Ovidium utroque illo loco Tiberii verbo non meminisse, si hos libros pro absolutis haberi voluisset? — Denique, quod si fatemur, nolimus indigne ferri, necessario enim coniunctum est cum arte critica factitanda, videntur quaedam in his carminibus ita esse comparata, ut quod olim de universo non dubitaverit Ovidius proloqui, ruptosque et imperfectos Fastorum aeque ac Metamorphoseon libros appellaverit, de his quinque posterioribus hodieque sit iudicandum. Velut si libri secundi eum locum, qui de Lupercalibus et Lupercis agit, inspiciamus, videmus, eius sacri originem pluribus fabulis iuxta positis illustrari. Neque id abhorret ab usu Ovidiano. Disticha vero v. 421 — 24, quibus nominis Lupercorum duplex ratio redditur, ita nude, ne dicam abrupte, componuntur, praesertim si editorum plurimorum exemplo v. 421 legas: Lupercis, ut levigasse magisque concinnasse locum poetam, optandum sit, idque facturum fuisse, si licuisset, suspicio oriatur. Quae offensio ne ita quidem tollitur, si codd. aliquorum et edd. veterum Venetae, Vicentinae, Aldinae, Mediolanensis exemplo legatur: Lupercal. Simili modo abrupta est oratio VI. 267, 291. Sed ut aliquanto certiora minusque in arbitrio posita proferamus, ad lib. IV. tantum non extremo quod legitur distichon:

Ianus adorandus cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus araque Pacis erit;

recentiores editores non secuti sunt Carolum Neapolim, qui haec adnotavit: post quatuor dies completos, id est IV Kal., Ianus placandus et terna haec tranquilla numina: Pax, Salus et Concordia. Bonum ergo aliquid Vrbi hoc die accessit: ita est; sicque notatur in Kalendario antiquo: Hoc die Caesar Alexandriam recepit.“ Kalendarium, quod laudat, est Capitolinum, quod edidit Graevius in Thes. T. VIII, p. 14 et 15. Videtur igitur Ovidius aut, si alio spectat illud distichon, quam ad captae Alexandriae memoriam, omisisse illud calendarii lemma; erat igitur quandocunque supplendum; nam reliqua eiusmodi, quae aliunde comperta habemus, omnia intexuit. Aut si Neapolis verum vidit, non potuit tamen tantam rem ita breviter tantum attingere, immo, qua de causa illa nomina placanda sint, prorsus reticere, sed iudicandum est, istis duobus versisus olim complexum eum esse, quae postea copiosius essent explicanda. Ac sane, si Dionis historiam evolvimus, possint illa sacra quodam nexu cum victoria Alexandrina coniuncta fuisse. Lib. LI, c. 19: *τήν τε ἡμέραν, ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξανδρία ἑάλω, ἀναθήν τε εἶναι* — c. 20: *πλεῖστον δ' ὅμως ὑπὲρ πάντα τὰ ψηφισθέντα οἱ ὑπερήσθη, ὅτι τάς τε πύλας τοῦ Ἰανοῦ — ἔκλεισαν καὶ τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς Ὑγιείας ἐποίησαν.* Videmus eodem certe tempore et memoriae Alexandriae captae diem dicatam et Augurium salutis repetitum: quod an eodem die factum sit, incertum est. Pacem, quam libro I, 709 Actiacis frondibus

comptam dici legimus, ea die cultam fuisse, verisimillimum est, nec de Iano et Concordia est improbabile. Alexandrina enim victoria pace constituta, recte Ianus poterat adorari; et bellis civilibus finitis, ut in posterum ea averruncaret, Concordia erat veneranda. Sed quidquid tandem hoc rei fuerit, uno certe exemplo probavimus, quasdam carminis huius partes postea elaborandas sibi reservasse poetam; quod ceteroquin in Fastis aeque difficile est demonstratu, atque in Metamorphosibus, quas etsi item imperfectas scimus derelictas, qua parte quidquam desideraretur, nemo, quod sciam, indicavit. Quod igitur supra tulimus iudicium, posteriores Fastorum libros ita fere relictos, quales descripsit Tristium loco, in exordio huius disputationis exhibito, neque in exilio retractatos videri a poeta, argumentis sustentavimus.

Verum ne quid dissimulemus, duo extant loci in his libris posterioribus, quorum altero demonstratur, hosce libros in exilio Ovidium, altero, etiam post mutatam ad Germanicum dedicationem, attigisse. Ac primus habetur lib. IV, 81:

Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae;
Me miserum, Scythico quam procul illa solo!
Ergo ego tam longe? — sed supprime, Musa, querelas;
Non tibi sunt moesta sacra canenda lyra.

Alter vero: VI, 666:

Exsilium quodam tempore Tibur erat!

Quos quidem versus, cum relegeret aliquando hos libros poeta, subito additos, forsitan in

margine, statuimus, sicubi aptum solitis suis querelis locum dispiceret. Ac si paulo curiosius ea ratione ipsam quasi poetae officinam scrutamur, non ideo veremur, ne tam grave ineptiae crimen subeamus, atque illi interpretes, qui in Tristium loco V, 8, 29 deprehendisse sibi videntur poetam, binos hexametros ponentem, ut deinde aliquando eligeret. Nostra enim coniectura ceteris omnibus, pulcherrime congruentibus, non leviter videtur communiri.

Pars II.

Observationes criticae in Ovidii Fastos et scripta reliqua.

In Ovidio legendo qui sunt versati, sciunt, eum, qui ita emendavit poetam, ut reliquos editores ad hunc diem superaverit omnes, Nicolaum dico Heinsium, virum admirabilis quondam ingenii, non tamen ideo efficisse, ut huic aetati remissum esset docti id genus laboris. Nam cum fere in quovis huius poetae opere, si solos forte Tristium libros excipias, ea acuminis critici specimina ediderit, quae post tot secula in omne tempus salvum scriptorem stiterint, duplici potissimum vice rerum humanarum sortem expertus est: locos, quod primum est, non paucos male affectos, uti reperit, reliquit, ingenue fassus, se non paratam habuisse medelam; deinde nimia, qua erat, corrigendi cupiditate abreptus ingeniosa multa, sed inutilia, et in notis tentavit et vero carminibus ipsis intexuit. Atque hoc postremum commissum iis iudicandum est, qui post eum Ovidium edunt edentve; illud intermissum singularibus scriptionibus absolvi potest. Sed quoniam Fastorum carmen integrum quin percenseamus, impedit et subsidiorum mediocritas et locorum quorundam ratio impeditissima, quoties copiosius disputandi deerit occassio, praesertim in

prioribus Fastorum libris, licebit reliquorum Ovidii operum locos interponere emendandos; editionum autem vetustarum, quarum complures contulimus non spernendae notae et vero codicum nonnullorum, ubi occasio erit, subinde notabimus lectiones. Postremo illa Bentleianae praefationis verba, quae memoriter omnes tenent: Ne id forte nescias, longe longeque difficilius est hodie quam superioribus annis, emendationes conscribere," etc., in rem nostram convertimus, quae quanto maiorem hodie vim habent, eo aequiores opellae nostrae iudices efficient.

Fast. lib. I. v. 261. Si diligenter perlegas, quae Nic. Heinsius ad hunc locum adnotavit, incerti consilii eum fuisse apparebit, dum et coniectat, quod violentius, et edidit, quod non satis certum est, et codd. lectiones non videtur improbare. Ut operae pretium videatur, denuo de re ipsa dispicere. Ac coniecturam eius: maniplos Tatios admittendam praeter necessitatem nemo putabit; longius enim, quam in talibus licet, recedit illa a scriptura tum vulgata, quae est: tacitos, uti etiam est in edd. Aldina ai: 1501 Veneta 1484 Vicentina 1480, tum codd., quos habere: Tatios dicit Heinsius, nec tamen indicat, ut solet. Igitur quod edi consuevit: Tatium, id fama traditum est Scaligerum in codice legisse; quae cum sit sublestae fidei auctoritas, tum scriptura ipsa displicet propter v. 260, ubi idem nomen legitur, nec fuerat mutandum in Titi ab Hsio, cum nec ipse cod. Vossianus sit e praestantissimis, nec nisi in margine, scilicet pro apertissima glossa, illud ex-

hibuerit. Si igitur Tatium expunxeris, restat ut alterutrum eligas: Tatios vel: tacitos. Hoc vero prae illo ut probemus, facit et verborum ordo, ne Sabinis et Tatios tam arcte copulentur, quod est submolestum; deinde vero comparatio loci simillimi in Metam. XIV, 715:

— Tatius patresque Sabini
Bella gerunt, arcisque via Tarpeia reclusa
Dignum animam poena congestis exuit armis.
Inde sati Curibus tacitorum more luporum
Ore premunt fauces.

Vides hos locos ita sibi esse similes, ut etiam silentii notio alteri videatur conveniens. Si vero ideo antiquandum nostro loco legendumque: tacitos videbitur; et ita h. l. legisse videtur ille librarius, qui Amor. III, 8, 61, exaravit: tacitos Sabinos; potest id etiam explicari ad eorum exemplum, quae attulit Burmannus ad Trist. I, 1, 21, bonae frugis et Heinsius ad F. VI, 398, qui docent, tacitum saepe poni pro secreto et clandestino. Restat, ut occasione data Metam. quem laudavimus locum emendemus: ibi enim quod Iahnius et B. Crusius ediderunt: tacitorum luporum, nequaquam verum esse constat. Non apte enim lupi taciti dicuntur, qui non semper tacent, sed dum praedantur tantum; nec prolepsi locus est. Contra quod aliqui optimi codd. habent: rapidorum nimis vulgare est. Unice aptum dixerim, quod facillima coniectura licet assequi: raptorum more luporum. Cfr. Rem. Am. v. 700 ubi rapidas et raptas confusa. Sensus autem: tacent, veluti lupi, dum rapiunt. Ita pas-

sim Ovidius: passeres raptores, vastator aper, praedator ales, hydrus obsessor, cet. Quin id ipsum: lupi raptores dixit X, 540. Hunc igitur locum si emendavimus, ne ita quidem minus recte cum illo Fastorum componetur.

V. 333. Huius loci duo habentur lectiones: Utque ea nunc certa est, quae est codicis praestantissimi Ursiniani et decem aliorum h. e. septimae partis omnium, quos Heinsius ad Fastos contulit; Altera: utque ea non certa est, quam unus Ciofani, reliqui, uti videtur, Heinsiani et edd. veteres omnes, quas inspexi, suppeditant: quarum priorem probavit Heinsius et secuti omnes editores; minus recte, uti nobis quidem videtur. Nam etsi illa locutio: Ut illud — sic vel ita hoc, quae familiarissima Ovidio est, ad cuius exemplum etiam illud in optando: ita — si explicandum videtur, quod paulo aliter explicat editor Tristium Lipsiensis ad I, 2, 105, et in enunciatis sibi oppositis et convenientibus sibi usurpata legitur, tamen: nunc h. l. tantum abest, ut a praecedente versu confirmetur, quod dicit Heinsius, ut prorsus abundet et ita tantum locum haberet, si pluribus argumentis Ovidius, cur illa ratio vera sit, probasset. Praestabit igitur, opinor, plurimorum codd. scripturam admittere. Sed admonemur ab hoc versu alius loci, qui in eadem locutione Ut — sic a nemine tot editorum emendatus est. Est is in ipso Metamorphos. exordio v. 15. Diu est, ex quo Burmannus hunc Porphyrionis ad Horatium ad III, 4, 29. locum adscripsit: „Utcunque pro ubicunque accipe. Ut enim vete-

res nonnunquam pro tali particula ponebant, ut Virg. in quinto: caesis ut forte iuvencis; et Ovidius: Quaque fuit tellus illic et pontus et aer." Veteres eius scholiastae edd. dicuntur habere; ut aer, et sane patet, aliqua eius versus parte Porphyrionem particulam: ut legisse, quantumvis perperam interpretatus esse videatur. Nam illi ut temporali, sive locativo, locum esse potuisse in hoc versu, vix exputes. Verum si consideraveris, quam inconcinne post illum versum: Quaque fuit tellus illic et pontus et aer, puncto distinctum, adnectatur sequens: sic erat etc., num absimile vero fuerit, legisse Porphyrionem:

Quaque fuit tellus illic ut pontus et aer,
Sic erat instabilis tellus etc.

ut hi versus eadem formula eleganter inter se copulentur, qua isto Fastorum loco et innumeris. Quod, aptius, quam Burmanni correctio, a Iahnio omissa:

Utque fuit tellus illic ubi, cet.

in tanta coniecturarum inutilium copia, quantam hic versus expertus est, neminem observasse, ideo mirum est, quod Planudem id ipsum legisse eius graeca verba ostendant: ὡς ἔνθα γῆ ἦν ἐκεῖ καὶ ὁ πόντος καὶ ἀήρ. Neque leviculam hanc emendationem protulissemus, nisi in ipso operis limine a tot DD. viris tam mira excogitata fuissent.

Quoniam igitur Metamorphoses Ovidii ad partes vocavimus, cumque in primo libro Fastorum nihil gravius occurrat corrigendum, si qua praeterea in illo carmine emendatione indigere videntur, poterunt adiungi. Lib. Met. VII, 276 ex eorum

locorum numero est, quibus Nic. Heinsius vel pro conclamatis abstinuit, vel emendandis non vacavit. Posteriores vero interpretes mediocriter, ut fit, interpretando praeterierunt. Certe, quod Heinsius indicavit, maius quoddam ulcus sibi latere videri, nemo animadvertit. Sermo est de Medea, Aesoni operam navante, et verba haec:

His et mille aliis postquam sine nomine rebus,
Propositum instruxit mortali (Iahn; mortalis Both.) barbara munus,
Arenti ramo iam pridem mitis olivae
Omnia confundit summisque immiscuit ima.

Quorum versuum si secundum accuratius intueamur, multa esse fatendum est, quae Ovidiano nitori male respondeant. Ac etiamsi barbarae appellationem poeticae Latinorum consuetudini concedamus, qua ad Atticorum tragicorum exemplum assolet fere Medeae tribui, velut Hor. epod. 5, Ovid. Trist. II, 526, quid dicamus significari isto: mortali? mirum nisi immortalem factura erat Aesonem; deinde quae aut elegantia inest in illis sibi oppositis: mortali barbara aut quod acumen in coniunctis secundum Bothium, qui in Vindiciis Ovidianis ad h. l.: „munus reflorescentis aetatis, quod vel a deo tantum aliquo dari posse videretur, vel a viro omnis, quae in hominem cadit, doctrinae copia instructissimo proficisci, id munus et mortalem et feminam, eamque barbaram, proposuisse, remque ad exitum perduxisse, ait mirabundus Naso.“ At primum munus non est h. l. ipsa iuvenilis aetas, sed tantum ille sucus, per quem in iuventutem rediturus erat Aeson; alio-

quin enim non poterat dicere poeta: instruxit; deinde isti nimiae admirationi aut nusquam aut certe hic locus non erat, cum aliquanto mirabiliora iam antea protulisset; neo de re ad exitum perducta quicquam legitur, sed statim pergitur in narratione. Sed quam suspicionem sententiae frigus excitaverat augetur etiam codd. scripturas reputantibus: eorum alter, Urbinas, qui a reliquorum Italorum familia plerumque seorsim facit, vulgatum quidem exhibet, sed cum hac glossa: mortali i. e. in mortario, quae glossa sive tradux ex alio derivata est, sive illi primum adscripta, non obscure aliud quoddam auctorem suum legisse indicat. Adverterunt id iam pridem docti viri, quorum Heinsius et Burmannus Barthii emendationem: mortari tanquam probabilem suam fecerunt; alteram vocis: mortarium formam statuentes, uti dicitur videlicet torcular et torcularium, alia. Sed istam incognitam vocem, non insolitum Heinsii artificium, iure reprobat Bothius, adnotans quoque, non mortario, sed aheno Medeam usam videri. Altera vox: barbara in cod. Berneggeriano Argentoratensi, quem prae ceteris praestantiorem dicit Burmannus Sec. vitae Heinsianae p. 13, et conspirare saepius cum illo Urbinate notavit Iahnius V. D. p. XXVI. praef. ad to. II., tantum in litura habetur. Inde putaverim in codice eo, qui depravationis, mox correctionis per doctos Italos, causam praebuit, scriptum fuisse: 'morari, addita ab initio tenui ista virgula, quam: re significare, norunt, qui codices tractarunt. Ex eius virgulae omissione in cod. Zwiccaviensi

Metam., quem nunc domi habeo, I, 23: secuit pro: secrevit; 196: editus pro creditis vel credimus VI, 128: hedis, pro hederis; VII, 29: tuleo; VII, 720. Quaere pro: quaerere; VII, 486: feda, pro: foedera; lib. II, 654. paene omissa illa syllaba; scriptum enim: solv., quo deinde deleto: resolveret; I, 235: utitur pro: vertitur; quia etiam scribitur v'ba = verba. Quod igitur h. l. esse deberet: remorari facile abire poterat in: mortari, cui illa glossa adscribebatur; mox in: mortali, quod hodie legitur. Pro barbara autem levissima mutatione reposuerim: tartara, h. e. Tartara. Remorari Tartara vero significat: remorari mortem, prorogare vitam, uti Met. XII, 446: morari Hectoris arma, h. c. prohibere; moram fati lucrari dixit Stat. Theb. IX, 779. et vid. Indicem Burmanni. Quod autem attinet ad constructionem illam: munus, propositum remorari Tartara, est illa poetis familiaris pro vulgari: ad remoranda Tartara, de qua exposuerunt Bentl. ad Hor. carm. I, 1. Ciofan. ad Ovid. Pont. II, 9, 58. Loers. ad Heroid. I, 37. Quod supra diximus de apiculo pro syllaba posito, si quis in tam antiquo codice, qualem fuisse illum integrum necesse sit, e palaeographiae legibus nolit admittere, quae tamen sub iudice res est, poterit statuere syllabam excidisse, quod non semel factum notavit Heinsius ad P. V, 83. De similitudine litterarum h et t in altera voce, sciendum est, vel antiquissimos Ovidii codices, quos Heinsius contulit, litteris, quae dicuntur minusculis, scriptos exstare, quod con-

cluditur e loco memorabili epistolae Heinsii ad Gronovium Syll. epp. III, p. 182.

Lib. XI. Met. 319. Memorabilis est locus propter scripturae diversitatem et virorum doctorum dissensum. Primum tenendum est, codices optimos quosque et Heinsii et aliorum exhibere:

Et forti genitore et progenitore Tonanti, reliquos et vett. editiones: Tonante; quinque tantum: nitenti. Editorum ii, qui sunt religiosiores, secuti sunt codd. auctoritatem, interpretatione dubia relicta et suspensa; Iahnium deteriora secutum esse, non possis probare; notanda vero Bothii procacitas, qui quod nemo ausus fuerat, suo discrimine fecit, ut pauculorum codd. scripturam reciperet; neque id aliis usus argumentis quam quibus Heinsius. Adnotaverat enim Heinsius, parum abesse quin ipse alterum illud, nitenti probaret, „cum Hyperionis non Iovis filia Aurora fuerit.“ Verum id quidem, sed unde subito Aurorae mentio? dubium, utrum Heinsius oculorum aberrantium fraude v. 296 sibi visus fuerit nescio quid legere de Aurora, matre Daedalionis, cuius generis errores interdum admittere Heinsium, sciunt, qui eius commentarios legerunt, an in mente habuerit locum Apollodori I. c. 2. ubi legitur: Ἠοῦς καὶ Ἀστραίου ἄνεμοι καὶ ἄστρα. Certe oportebat eos, qui Heinsii verba toties descripserunt, eum locum indicare; quo tamen neque diserte Lucifer Aurora natus dicitur, neque usquam alibi, quantum equidem sciam, et sic quoque verisimile esset eos, qui primi: nitenti legerunt, intellexisse Luciferum, qui et Daedalionis

pater supra nominatus esset, et cui nitor ille aeque recte tribuatur, quam Soli vel Hyperioni, cfr. v. 271:

Lucifero genitore satus patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx.

Fast. V, 543: Latona nitentibus astris Intulit; et passim. Adde, quod in progenitoris appellatione nihil est impedimenti, cum ea vox aeque bene avum quam atavum vel proavum videatur posse innuere. Nam etsi Forcellinus in lexico secus accipit, progenitorem simpliciter dici posse eum, qui genere proxime patrem antecedit, auctor est ipse Ovidius, cui Her. II, 74. Nereus prosocer uxoris Achilleae h. e. Pelei socer et Her. III, 158 proavus Iupiter eadem significatione dicitur. Ac quamquam sive Lucifer Chiones, sive Hyperion Luciferi avus fuerit intellectus, nihilo inde facilior intellectu scriptura sit: Tonanti, tamen illud nitenti de Luc. acceptum fuisse, quovis pignore contenderim. Ut enim simul aperiam, non modo propter codd. minorem numerum auctoritatemve, sed etiam ideo deterior est haec scriptura, quia manifesta est alterius praestantioris glossa; sed si uno apice prius illam mutaveris. Nam Tonanti non habeo, quo confirmem, vel hac de causa, quod Ovidius Tonantis nomen pro substantivo ubique ponere solet, quod ablativo terminatur in e, non i. Tonante vero deteriorum codicum nondum licebat ponere. Scriptum igitur fuisse suspicor:

Et forti genitore et progenitore comanti quod si literis minusculis fuit exaratum, in quo

scribendi genere c et t facillime confunduntur (et in codice Zwiccaviensi eleganter exarato quavis pagina confusa leguntur); et pro m et n promiscue linea superduci solet, non difficulter abibat in: tonanti. Videmus illa terminatione optimos codices prioris scripturae indicium retinuisse. Ei vero scripturae addebatur pro interpretamento, eoque verissimo: i. e. nitenti. Comare enim Lucifer stella dicitur, venustissima imagine, pro: nitere, radiare; quae imago non tantum obtinuit in stellis vulgo cometis dictis, sed in aliis quoque, de quo videndus Hsius advers. p. 210. Adde locos Valerii Flacci V, 366:

— astroque comantes Tyndaridas

et Sil. Ital. X, 149: Ipse manu celsam pinum

flammaque comantem, etc.

Hinc est, quod Catullus dixit: viden' ut flammae quatiunt comas? Neque solum apud Latinos poetas id usurpatum credibile est, sed apud cuiusvis fere gentis. Subit illud Celtici poetae: Star of descending light! thou liftest thy unshorn head from the cloud etc.

Iam vero ad ingeniosissimi carminis emendationem quantumvis exiguam stipem nos contulisse contenti revertimur ad Fastorum recognitionem, quorum nec secundo libro multa habemus, quae moneamus, cum si hic illic scripturam aliquam spretam e fuga revocaremus, veluti facere soliti sunt, qui hucusque id carmen ediderunt, operae id foret levioris taediique multi negotium. Illud tamen observabimus, eius libri v. 398 luculento esse exemplo, Nicolaum Heinsium pridem quos-

dam locos melius intellexisse interpretibus qui secuti sunt omnibus. Nam quod in Heinsii editionibus mendo Elzeuirii accidit, id dum consulto omnes faciunt, puncto nimirum in fine versus posito, non assecutos se poetae mentem ostendunt. Hinc est, quod Francius tentavit: nescio quem patrem, Gierigius autem de durissima ellipsi conqueritur, nec tamen ausus est aut: a vobis aut: in vobis admittere. Posito autem leviore signo omnis, ut opinor, difficultas dirimitur, constructione aliorum locorum quam maxime cum hocce conveniente. Monuit sane, quod alii iteraverunt, Daniel Heinsius ad Trist. V, 13, 1 raro Ovidium ita ἀπὸ κοινοῦ orationem concludere, quod si de tam violenta constructione, qualem poetae intrusit, voluit intelligi, verissimum est, ceterum eius rei exempla non desunt, nec cur deesse debeant, causa est. Eiusdem, cuius is, quem tractamus, generis, ubi quod ad priorem enunciati partem pertinet subiectum in posteriori sequitur, sive eodem sive etiam diverso casu, loci sunt hi: Met. VII, 764:

> Protinus Aoniis immitior altera Thebis
> Cessit et exitio multi pecorumque suoque
> Agricolae pavere feram.

Ita enim ad librorum fidem glossematis tantum eiectis eum locum legendum esse, neque causam fuisse, cur in tanta variantium scripturarum copia nova comminisceretur Iahnius in hunc modum:

> immissa est bestia Thebis,
> Esset ut exitio multis pecorumque suoque,

per se patet. Item XIV, 730:

Icta pedum motu trepidantum morte gementem
Visa dedisse sonum est adapertaque ianua factum
Prodidit.

Ubi iterum librorum lectio praestat VV. DD. correctionibus. Et Met. VII, 79:

Ut solet a ventis alimenta assumere quaeque
Parva sub iniecta latuit scintilla favilla
Crescere —.

Eadem vero locutio mihi quidem versu interpolato obscurata esse videtur Met. VII, 615 sq.:

Iupiter, o, dixi, si te non falsa loquuntur
Dicta sub amplexus Aeginae Asopidos isse
Nec te magne pater nostri pudet esse parentem.

Eorum versuum enim medius multis modis legitur, uti fere semper solent qui a librariis conficti sunt. Deinde istud: Dicta, quod tamen retinuit Iahnius, glossam quam maxime redolet. Simili enim modo Met. I. 655 ad: nostris in cod. Zuiccaviensi legitur glossa: dictis, et alibi quantum memini. Totum igitur illum versum dixerim esse tollendum, quippe ex aliis locis confictum, cum nescirent librarii, quid esset falsa loqui aliquid; quod graeca constructione dictum, cfr. Vechneri Hellenolex. p. 214 sq., uti accepisse locum, servato tamen medio versu, video I. H. Vossium in appendice Vindiciarum Bothianarum.

Similis constructio mihi videtur latere in loco Tr. II, 507 sq. qui in edd. sec. XV, Bononiensi

praestantissima, Veneta et Vicentina sibi similibus, Aldina prima, sensu nullo ita conceptus legitur:

Quodque minus prodest, poena est lucrosa poetae
Tantaque non parvo crimina praetor emit.

Assentiuntur omnes codd., nisi quod unus Mediceus: Quodque minis; scilicet minimi momenti et codex et diversitas. Pro poena aliqui paene, aliquot: pleno exhibuisse dicuntur. Ex illa Medicei scriptura Heinsius satis audaci facinore confinxit:

Quae mimis prodest etc.

et deinde audacius etiam: scena est. Ista quidem vis est. Sed de sententiae incommoditate et de Editoris Lipsiensis consilio dicere nihil attinet. Nobis sufficiet, id proposuisse, quod aliquanto et facilius et aptius iudicatum iri speramus. Retinenda enim editionum vett. scriptura videtur, nisi quod in illa codd.: pleno latere contendimus vocabulum: palma, scriptum id quo assolent librarii, litterarum compendio, vocali prima omissa, et linea aut super ducta aut non addita. Ita in cod. Zuic. Met.: I, 688. ratone, 491: orcula 620: gnerisque II, 793: popl'o III, 138 sc' dos, alibi: dilctam, I, 32 dispoitam. Quod tum potissimum factum fuisse consentaneum est, ubi eadem vox parvo interstitio rediret, quod h. l. ita fit, post versum praecedentem *). Deinde interpunctione leviter mutata in hunc modum:

*) Poteram hoc simplicius unius Mannerti auctoritate confirmare, Miscell. p. 42, 2., ubi quae adnotantur veram nostram divinationem fuisse evincunt.

Quodque minus prodest, palma est; lucrosa poetae,

Tantaque non parvo crimina praeter emit;

nascitur sensus non ineptus ille: palmam, quam probrosorum poematum auctores adipiscantur, si cum gratiore numorum et praemii lucro comparetur, vel levius videri posse emolumentum, quod in istorum auctores redundet. In verbis autem: lucrosa (scil.: sunt) — tantaque cr. emit, eandem ἀπὸ κοινοῦ constructionem nec h. l. molestam agnoscis: repetendum enim e posteriori et subaudiendum: crimina.

Eadem denique constructio ἀπὸ κοινοῦ extat in hoc leviter adhuc corrupto Trist. IV. 3, 36:

Tristis es? indignor, quod sum tibi causa doloris;

Non es? ut amisso coniuge digna fores.

Ita hunc locum ex parte tantum emendatum reliquit Heinsius, dum nulla idonea causa pro interpolato habet. Versum enim ultimum interrogationis signo recte distinxit et quod in fine est: fores, e codd. ascivit, cum edd. veteres quarum ipsi contulimus Aldinam 1502, Venetam 1484, Vicentinam 1480, e qua sequentes fere fluxerunt, et Bononiensem 1480, quae ad exemplar principis eodem impressore procusa saepe optimae frugis scripturas suppeditat, haberent: fleas. Iam vero neque ex Heinsiana emendatione versum ultimum intelligi posse, apparebit editionem Lipsiensem ai: 1829 inspicienti, cuius editor D. V. quae poterant omnia tentavit ad explicandum locum. Facile tamen patet pro: ut legendum esse: at, quae vocu-

lae confusae etiam Fast. VI, 86, ubi editiones Aldina et Mediolanensis habent: at, Veneta et Vicentina: ut. Quo facto facillimum explicatum locus habet: non es tristis? at si coniuge amisso digna esses, fores, scil. tristis, ea constructione qua supra diximus. Sententia autem, quae inde efficitur, si cui durior quam pro amantissimo uxoris viro videatur, adeatur carmen V, 2, 34 et Pont. III, 2.

Quoniam vero semel Tristium opus attigimus atque hoc ipso exemplo et Heinsii in eo tractando incuriam, non emendatam eam ubique ab iis, qui posthac ediderunt, perspeximus, e manu non deponemus nisi aliquibus certe nostrae curae in medium prolatis. Ac Heinsii diligentiam his libris non aeque quam reliquis constitisse, non est quod incusemus, cum ipse confiteatur in fine operis ita: „si in promtu fuissent codices huius operis aliquanto vetustiores et castigatiores iis, qui in manus hactenus nostras inciderant, poteramus Tristibus emendandis curam magis operosam adhibuisse. Sed cum in nullo Nasonis poemate peius nobis prospectum fuerit a membranis antiquis et fidis inter sordes mendosissimorum exemplarinm diu haerendum esse non duximus.“ Editores autem posteriores quid deinde praestiterint, nostrum nunc non est iudicare, sed e pluribus pauca hisce plagulis inserere.

Lib. I. el I, v. 112. locus est e vexatissimis. In prioribus a poeta libellus edocetur, quid sit eventurum Romam perlato; visurum eum priores libros, quos solito more fratres eius appellavit.

Eorum reliquos titulos sine pudore ostensuros. Deinde:

Tres procul obscura latitantes parte videbis,
Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.

Ultimum versum difficilem intellectu primum fuerunt, qui emendare conarentur, verum aut violentius, veluti Tanaquillus Faber, qui suasit legendum: Hos qui etc., et interpretatus est praeter consuetudinem suam inepte, aut ipsa statim correctione importuna, uti Burmannus, qui illud, quo unice delectatus est: Sic quoque, incertum utrum h. l. an lib. V, 13. v. 6. incommodius intruserit. Verum his quam maxime valere iussis videamus quid interpretando proficiatur. Igitur Burmanni opinionem copiosius prosecutus est editor Lipsiensis in hunc modum: Quod dicatur, docere illos libros amare, id ambigue dici et simul significare: amari poscere; hi quoque vero, quibus verbis fiat, ut de aliis quoque cogitandum sit, qui scilicet idem poscant, ideo dici, quia quod praegressum sit: fratres amoris fraterni notionem inducat. Verum neque amare docent illa sententia dicitur, neque ille per ambiguum lusus apte hic ponitur, cum v. 126 demum, sed aptiori modo, redeat, neque fratrum appellatio, quae simplex poetae est metaphora ut III, 1, 65. et cum libros natos dicit III, 1, 4, necessario de fraterno affectu quidquam includit. Quare supervacuum non est de alia medela dispicere; quae tamen, ut in loco occultius affecto, lenissima sit necesse est. Videtur igitur nobis quidem scriptum fuisse:

Tres procul obscura latitantes parte videbis,
Si quoque; quod nemo nescit, amare docent.

Quae mutatio lenior vix esse potest; cum scribendi genere illo semigothico facillime corrumpi potuerit H in S. Cur autem ita demum sensus salvus et integer sit, demonstrandum est. Versus secundi posteriori parte habemus illorum librorum, qui sint, descriptionem, quod eo magis necessarium est, cum sese abscondere antea dicantur. Quod vero id librorum argumentum vulgo notum esse dicit, verisimile narrat, utpote severissimae relegationis ex parte causam. Duo autem illa verba: Si quoque per ellipsin satis vulgarem totius enunciati vim habent, quasi suppleveris: videbis latere; de quo loquendi genere, simili Graecorum *εἴπερ.*, *ἢν ἄρα*, cfr. Ramshorn. Gramm. p. 870, Garatonius ad Cic. pro Mil. 38, 104. p. 241. Apud poetas itidem occurrere de locutione: Si quando copiose adnotavit Burmannus ad Valer. Flaccum V, 480. Et ita Tibulli locus I, 2, 71. interpretandus videtur: Ipse boves, modo si tecum mea Delia, possim Pascere. Quod igitur poeta dicit hoc est: tres meos libros latentes in occulto videbis, si modo scilicet latent, nec plane e bibliothecis sunt remoti artis amatoriae libri. Quod ut hoc loco veretur, ita III, 1, 65. librum ipsum facit narrantem:

Quaerebam fratres, exceptis scilicet illis,
Quos suus optaret non genuisse parens.

et III, 14, 5. quaerit ex amico:

Susceptis exceptis ecquid mea carmina solis
Artibus artifici quae nocuere suo?

Restat, ut particulae: quoque usum exemplis similibus illustremus; inservit enim sententiae augendae, sicut: vel, etiam, similia. Habes ita Tr. IV, 10, 99: Causa meae cunctis nimium
quoque nota ruinae.
Pont. III, 9, 49: Musa mea est index nimium
quoque vera malorum.
Tr. II, 115: Sit quoque nostra domus vel censu parva vel ortu, h. e. sit vel, quamvis sit, ut recte explicat Ciofanus. Her. 6, 53. Pont. IV, 8, 3. I, 10, 17. Trist. III, 12, 41. secundum editionem Bononiensem:

Fac quoque ab ore freti longaeque Propontidos h. e. si, quod magnum est, aliquis, cet.

Lib. III. Trist. 5, 53 sq. vulgo ita legi solet:

Spes igitur superest, facturum, ut molliat ipse,
Mutati poenam conditione loci.

Nam quod editor Lipsiensis: futurum, etsi cod. Combiani scripturam, certe typographi commissum est. Ad quos versus cum adnotasset Heinsius ita: vulgata parum latina est, nisi reponas: facturum ut molliat ipsum;" non videtur Burmannus Heinsii mentem percepisse, sed exemplis docet Latinos dixisse: facio ut, quod quidem nemo dubitaverat. Sed ista adnotatione acutum et sollers iudicium Heinsius adprobaverat, quia si vulgatum sequaris, ad: facturum aliquo substantivo nomine opus est; quod si quaeras, non reperias nisi v. 25, integris viginti sex versibus distans, quod profecto nimium inter subiectum et prono-

men interstitium. Eiusmodi sententiam Burmannus exprobrat ad IV. Pont. 11, 15, ubi item e. v. 9, ad v. 15 repetitum est subiectum. Hactenus igitur recte Heinsius ipsum pronomen pro subiecto habuit, quod substantivi vim habet, de Principe usurpatum. Vide, ut haec praecipiamus, Burm. ad V, 1, 45. addito loco V, 11, 11: Maxima poena mihi est Ipsum offendisse. cfr. Met. I, 178, Trist. I, 2, 64, Loers ad Her. p. 29. Tib. 2, 3, 59. An igitur recipienda erit Heinsii emendatio? Non censeo, propter nimiam a codd. scriptura differentiam, sed aliam adhibendam, qua proclivior vix cogitari potest. Si enim legeris:

Spes igitur superest facturam ut molliat Ipse, omnia apta et congrua spoponderim, modo ne offendaris constructione: spes est, ut; quam et probavit Burmannus et cuius exemplum exstat Auson. Idyll. II, 46: Consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit. Iam vero quae in vulgata sensu cassa erant; quis enim hoc intelligat: mollire poenam conditione mutati loci? optime sese habebunt. Nam quod coniectura assecuti sumus: poenam facturam, id ex Ovidiano dicendi genere est explicandum, de quo adnotavit Burmannus ad III, 8, 23: facere verbum apud Ovidium sive absolute positum sive dativo coniunctum, sive per: ad constructum idem significare, quod convenire, prodesse, iuvare, aptum esse. Adde locos 1 Am. 2, 16. Her. VI, 128; et an ita sit legendum Her. I, 103. non dixerim: verum Loersium id genus loquendi perperam esse interpretatum ad Her. II, 39 certum est. — Dicit igitur h. l. poeta, se non de-

tractaturum poenam relegationis, modo si liceat mitiori loco exulare. Id enim significat: conditione mutati loci; quod votum fecisse Ovidium saepissime in Tristt. et Pontt. libris legimus, velut V Trist. 2, 77:

Quod petitur poena est; neque enim miser esse recuso,
Sed precor, ut possim tutius esse miser.

ibid. v. 53: Parce, precor, minimamque tuo de fulmine partem
Deme, satis poenae quod superabit erit.

Pont. IV, 13, extr. — praebe nostrae momenta saluti,
Quae nisi mutato nulla futura loco est.

Habes tres locos, quorum primo exoptatum fore sibi exilium meliore loco; altero, suffecturam etiam levatam poenam; tertio salutiferam dicit futuram poenae mutationem, exitialem vero praesentem eius rationem. Quarum sententiarum quamvis illi participio: facturam inesse posse vidimus. Restat ut de participii futuri h. l. collocatione quaedam addamus. Nam cum variis modis id poetae et ipse Ovidius usurpent, quorum uno pro nuda appositione, neglecta futuri temporis notione, ponitur, de quo usu poetico nunc non vacat exponere, tum frequentissima est illa ratio, qua cum emphasi additur part. fut. act. aut ante aut post substantivum. Prioris generis est quod dicit Hor. 2 carm. 3, 4: ab insolenti temperato,

Laetitia, moriture Delli,
Seu laetus etc.

Noster ita dixit plane gemino modo Trist. III, 3, 31:

Quantum erat o magni perituro parcere, divi.

Tr. I, 7, 19 — mecum peritura libellos,

Imposui rapidis viscera nostra rogis.

Met. XI, 104: nocituraque munera solvit. Fast. V, 644. Metam. II, 280, 342. Her. II, 99. Propertius III, 19, 3. Postpositum substantivo, sed eadem plane efficacia, habes Pont. III, 5, 36. Trist. I, 3, 45. IV, 10, 63. Fast. III, 479. Quin obtinet is usus etiam in participio perfecti, velut in illis Hor. ad Iccium: mutare loricis Iberis,

Pollicitus meliora, tendis.

Ut iam his abunde participii illius: facturam usus probatus esse videatur in hunc sensum: Spero lenituram Augustum esse poenam, quae tum quidem vel exoptata erit, si locus mutetur. Corruptelae causa, ut hoc addamus, fuit verbis facere illa non satis cognita librariis significatio.

Lib. Trist. III, 7, 28. Ad Perillam loquitur poeta, quam, cum poeticam olim attigisset, omisisse ea studia opinatur:

Forsitan exemplo, quia me laesere libelli,

Tu quoque sis poenae facta secuta meae.

Ita enim ediderunt Burmannus, Kleinius, Platzius, Weberus; sensu tantum non tolerabili, cum tamen insolitum ad aures accidat: fata poenae alicuius sequi. Verum est ea lectio duorum tantum codicum, nescio an non ex melioribus; cum et plurimi et optimi exhibeant: facta secuta: editiones veteres, uti videtur, omnes: facta ruina. Quorum cum illud intelligi nequeat, neque hoc

non offendat, varia nec eiusdem pretii excogitaverunt viri docti. Ac Burmannus quidem rusticius, uti solet: Forsan ab exemplo et in fine distichi: metu. Prorsus inutiliter, uti infra apparebit, quandoquidem insuper Mureti probat coniecturam. Sane elegantia sunt satisque adblandiuntur, quae Muretus et Auctor electorum Etonensium, qui Heinsianum saepe exhibet acumen, coniecerunt, nimis tamen longe recedunt a librorum auctoritate. Nam ille tentavit: remissa, secutus, uti patet, editionum veterum vestigia; idque probarunt Tanaquilus Faber, Heinsius, Burmannus, editor Lipsiensis anonymus. Anglus vero ille: severa, ad eius lectionis similitudinem, quam codd. habent. Sed utrique illud obstat, quod plane ignoratur, quomodo, si alterutrum verum esse cogitetur, potuerint librarii inde alteram lectionem elicere; nam quod habent veteres editiones e codice perperam lecto fluxisse, nobis certe constat. Videndum igitur, possitne aliquid excogitari, quod cum ad sensum aeque quadret, potuerit utriusque aberrationis causam praebere. Quod fieri posse dixerim, si legamus:

Tu quoque sis poenae facta supina meae.

Supinum esse significare, negligentem esse, torpere, notissimum est. Scriptum vero ita, uti antiqui librarii solent, leviter distat ab utraque scriptura: secuta et; ruina. Ceterum reliqua ita coniunges: exemplo poenae meae facta es supina; quod quin fiat, nihil impedit. Simili modo cum plurimi auctorum veterum loci aut emendati sint, aut tentari possint, uti a Burmanno Trist. IV, 6, 16, ab

Huschkio Tib. II, 5, 4, utrum id a nobis iure et necessario factum sit, an quod elicuimus pro dubio et incerto in marginem tantum debeat recipi, uti suam emendationem vult Huschkius l. l., iam aliorum sit iudicium; versum non satis salvum esse certe demonstravimus.

Lib. Trist. III, 10, 11 sq. Hic locus ex triginta illorum numero est, quibus in Trist. libris aut singulos versus aut distichon unum vel plura pro spuriis notavit Heinsius; non nunquam recte, uti videtur, plerumque tamen sine idonea causa, quod et h. l. factum sumus demonstraturi.

Nam si eiiciatur distichon, quae restant aut inconcinnitate laborabunt aut constructione in Ovidio intolerabili erunt deformia. Aut enim ad distichon praecedens erit apodosis quod excluso eo, de quo quaeritur, erit proximum, in hunc modum: Cum hiems glacie terram obduxit, tum nix iacet neque facile dissolvitur. Quod cum ridicule dicatur, tum particula adversativa: at non habet, quo stricte referatur. Praecesserat enim, poetam aliquatenus a finitimarum gentium incursionibus tutum esse, donec Istri fluctibus arceantur, ut exspectes tale quid: At cum Ister obduraverit, tum statim istarum gentium notitiam parari, quippe transmigrantium per glaciem. In eum sensum dictus videtur v. 12, qui cum resecetur, restat alterum, ut pro apodosi forsan accipiantur, quae leguntur v. 51—54: Sive igitur Boreae vis — cogit aquas,

Invehitur celeri barbarus hostis equo.

Quod qui probet, per aposiopesin versu 10. abruptam esse orationem statuat, necesse est. Quod cum durissimum sit, integris quadraginta versibus intermediis, tamen exemplis non prorsus caret; qua de causa hanc rationem posthac cum faciliore, uti speramus, nostra conferemus, quae prius tota est proponenda. Coniuncta ea est cum emendatione distichi eius, quod suspectum habuerat Heinsius. Nam quod recentiores editores omnes receperunt:

Dum patet et Boreas et nix iniecta sub arcto

neque quisquam interpretari ausus est, neque ullus opinor poterit hanc locutionem: patet Boreas et nix. Igitur coniecturas adscripserunt Heinsius haec:

Tum pariter Boreas et nix habitare sub arcto,

qui esse deberet infinitivus historicus, qui dici-t[illegible]quam tamen cum ipse improbaret, de delendo disticho potius pronunciavit: Alteram Burmannus:

Tum pariter Borean et noctem habitare sub arcto;

quae quanti pretii sit ipse vidit, fassus, hoc esse hariolari; quae et nostra est sententia. Nec videtur protulisse, nisi ut ex adversariis exempla allegaret eius dictionis, qua ipse usus est. Id unum igitur relictum est, ut proprio Marte et librorum scripturas examinemus et locum refingamus. De libris Heinsii haec sunt verba: „Nix habitare multi veteres et nox duo: nam de nive mox sequitur, uti et de Borea, seu Aquilone. Piget diversas lectiones corradere, quod complures sint.

Proximo tamen versu repono liquet ex quinque scriptis; est enim odiosa repetitio." Burmannus autem, quamvis aliquot variantes scripturas addiderit ex iis codd., quorum collationes inter schedas Heinsianas invenit; nam pleraeque interierant; velut cod. Leidensem habere: subiecta: Moreti: agitata, Regium: tum statimur Borean; et habeamus veteres edd., quarum quas contuli omnes habent: iactata, tamen multo praestitisset Heinsium non piguisse molesti sane laboris, sed posteris utilissimi. Nunc quales fuerint illae monstrosae lectiones ignoramus quidem, sed cum aliquot modi observati sint, quibus plerumque ineptiant librarii, possunt animo informari. Frequentissimum corruptelae genus est id, cum duarum syllabarum vocales commutantur, quemadmodum legitur: detur pro: duret Pont. IV, 8, 7., valebit pro: velabit P. IV, 4, et innumeris locis consonantes transponuntur. Qua facillima variatione Heinsium invenisse puto etiam hanc scripturam:

Dum petat et boreas et nix habitare.

Nam si, quod verum est, vixque inde tenuissima linea distare solet (cfr. Gronovii obss. lib. IV, 14, et varr. ad Met. II, 801. Iahn.): vetat invenisset, permirum esset, nisi recipiendum putavisset. Ita enim legendum videtur:

At cum tristis hiems etc.,
Dum vetat et boreas et nix habitare sub arcto:
Tum liquet has gentes axe tremente premi.

Istud: vetat ut abiret in patet, potest

etiam factum esse propter glossam adscriptam sequenti c liquet, nisi id ipsum forsan, quinque tantum firmatum codd., pro glossa sit habendum. Nix habitare multorum et optimorum est lectio, uti vidimus; quae cur fuerit interpolata, ratio reddi potest. Glossemata qui rimati sunt, a librariis codd. Mss. apposita, (labor hercle improbissimus), sciunt non tantum istos homines vocabula esse interpretatos, pronominibus et verbis substantiva adscripsisse, sed etiam vocabulis epitheta aut explicandi aut exornandi gratia addidisse. Ita in cod. Zwicoviensi Remed. Amor. v. 174 ad: ager accedit gl.: tuus; in eiusdem bibl. cod. Art. Am. I, 624 ad: forma additur: pulcra uti in cod. Zwicc. Met. I, 489 idem eodem modo. Met. I, 402. ad: formam gl. humanam. ib. II, v. 681: gl. baculus: curvus. v. 686: arte, gl. magica III, 203: mens, gl. rationalis. v. 274. Semeles gl. thebane IV, 7. serta, gl. florea v. 350 res, gl. gesta. 366 linguae, gl. garrulae. v. 481 sanguine, gl. humano. v. 518 fundae, gl. balearicae, quod sumtum ex IV, 709. V, 352: harenas, gl. concretas. v. 420: iram, gl. inceptam. VI, 76 saxi, gl. percussi. Ita h. l. addiderit aliquis ad: nix: iacta, quod deinde versui intextum factum est aut: iniecta aut: iactata, antiqua bona lectione abolita. Postremo, si de sententia loci, qualis evadat, quaeritur, omnia sunt ex obscurissimis perspicua: Gentibus cingor quam maxime barbaris, quas tamen per aestatem Ister submovet. At hieme, quia propter ventos et nivem patria propelluntur, manifestum in modum, quos finitimos habeam, edoceor. Per particulam: dum causa additur uti etiam IV, 3, 23:

Tunc subeunt curae, dum te lectusque locusque
Tangit et oblitam non sinit esse mei.

Utrum igitur praestet, hacne ratione neque difficili neque abstrusa duos versus lucri facere, an Heinsii consilio cum praesentissimo totius orationis damno disperdere, non puto fore, ut ambigant aequi iudices.

Ultimus, quem tractandum eligimus, Trist. locus legitur lib. IV, 3 in fine:

Utere temporibus, quorum nunc munere freta es;
En patet in laudes area lata tuas.

Ita enim haec edi solent, ex librorum auctoritate, nisi quod: en unius tantum Vaticani fide inde ab Heinsio per manus traditum est. Sed maior difficultas est in superiore versu, qui nullis interpretum artificiis pro integro venditari posse videtur. Nam neque Bartholomei Merulae satisfacit, qui contentus fuit adscripsisse: freta es, i. e. adiuta es, sustentata es; cum fretum esse, passivo, quo vult, sensu nusquam legatur; neque vero editoris Lipsiensis probari poterit ratio, qui verosimile esse, ait, pertinuisse haec ad uxoris, cui ista dicuntur, aliquam epistolam, qua perscriptum fuerit, etc. Quasi non poetae, quem hos Tristium libros in vulgus edidisse constat, sedulo cavendum fuisset, ne quicquam rerum privatarum inferret, quod aut nihil lectoris interesset, aut ignorari ab eo posset. Accedit, quod hoc ipsum excogitatum refutari potest ipsius elegiae v. 10, quo satis demonstratur, diu fuisse, quod epistolam acceperit nullam

ab uxore Naso; non igitur potuisset dicere: nunc, sed dicendum erat: nuper, vel tale quid. Nec multo melius iudicare licet de DD. VV. emendationibus. Atque Heumanni, quae extat apud Burmann.:

Quorum nunc munere fida es,

ad sensum quidem est optima et elegantissima, quidquid obloquitur Burmannus, quem iniuria cavillari, facile posset ostendi: modo si a librorum vestigiis tam longe liceret recedere. Contra Burmanni ipsius est vulgaris, qui nimium tribuit varianti scripturae: non pro: nunc duorum codd., quos optimos esse nunc primum discimus, Arundeliani (Pirckheimeriani) et Leidensis. Quid latere debeat, ex parte assecutus est Heumannus, nimirum munere ea significatione positum videri, qua apud Tib. I, 9, 43:

Saepe insperanti venit tibi munere nostro,

cfr. Met. VII, 93. et Pont IV, 15, 19:

Tam tuus en ego sum, cuius te munere tristi
Non potes in Ponto dicere posse nihil.

Igitur totum distichon legendum videtur ita:

Utere temporibus, quorum nunc munere trita est
Et patet in laudes area magna tuas.

Quo pacto res salvae sunt tres: primum librorum auctoritas, praesertim copula: et secundum omnes fere libros restituta; neque est in es difficile mutabatur, quae personae saepissime confunduntur: IV, 5 v. 5, Her. I, 50; cfr. Met. VI, 403 cod. Zw.: in invidias pro: invidia est. Nec violentior correctio trita pro: freta, cum illud

paene simili modo corruptum sit Met. II, 167, ubi scriptum in codice: trectum pro: tritum, et vid. Huschke ad Tib. p. 498, ubi vitiose exstare: tetrum pro eodem docetur. Deinde salvus est usus loquendi Ovidianus, cum ille dilexerit istam locutionem: terere viam, velut: Appia trita rotis, Pont. II, 7, 44. et quos locos index praebet. Locus vero plane geminus huic F. IV, 10:

Nunc teritur nostris area maior equis.

Igitur sententia denique erit: Temporum beneficio nunc iter ad gloriam institisti et postea ut insistas, occasio est. Quae sententia, uti multa, in Tristium et Ponticorum ll. et alias recurrit, et V, 5, 10 ita expressa:

Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi materiem tempore laudis habet.

Tertii libri Fastorum, quo nunc postliminio placet reverti, v. 445 miranda est editorum ratio, qui, ne accuratius codd. lectiones examinare cogerentur, aut temere, uti videtur, Heinsium sunt secuti, aut si discesserunt, quamcunque variantem scripturam arripuerunt. Nam qui Heinsii correctionem exhibuerunt Matthiae, Krebsius, Mitscherlichius, Weberus, unius codicis Erfurtensis non egregia fide id fecerunt; qua autem sententiae praestantia auctoritatis imbecillitas compensetur, verbum non addiderunt. Nam cur colonae potius, quam earum mariti vocabulo: vegrandi utantur, non facile perspicias. Coloni autem, quod Gierigius edidit, est vulgata lectio, quam repraesentant veteres editiones, nec destituta illa codicum ope, sed deteriorum uti videtur. At si, quid ex-

primere voluerit poeta, quaerimus, minus concinne dicitur: coloni farra, quae minus creverunt, vegrandia et quae parva sunt vesca appellant. Nescias enim, num parva ad farra sit referendum, quod tamen insuave, cum farra parva ab iis quae minus creverunt vix sint diversa. Deinde si non de illis sit intelligendum ultimnm hemistichium, sed de quibusvis aliis rebus, cur ista appellatione: vescus tantum colonos usos fuisse necesse sit: quae certe nec ex obsoletioribus quidem fuit, sed occurrit apud cultissimos scriptores. Licebit igitur, puto, et plurimorum et optimorum codd. testimonia audire, quorum alii praebent: colono, alii undecim, in quibus Ursini et Petavii praestantissimi: colone. Videntur enim hi omnes numero tantum, uti saepe fit in codd. non sensu differre, cum posteriorum scriptura aeque commode legi possit: colonis, quam: colonae, cum syllaba: is compendio libroriorum exarata tantum non similis sit litterae: e. Quod et in codd. tractandis observari potest, nec desunt in variantibus scripturis eius rei vestigia. Ita Her. 4, 176 pro: Perlegis et aliquot libri exhibent: perlege et. Met. I, 454 cod. Zwiccaviensis pro: rubore habet: ruboris, Met. I, 1678 confusa sunt: arte et artis II, 341 caesae et caesis. II, 643: crescis et: cresce VII, 160 tres codd.: flamme, Zw.: flamme. II, 646 Zw.: prohibere. IV, 195 urere pro: ureris. V, 15 repende pro: rependis.

Lib. III, v. 515 sq., postquam Bacchus Ariadnae coronam in coelo se positurum, fidem dedit, dicitur:

Dicta facit gemmasque novem transformat in ignes
Aurea per stellas nunc micat illa novem.

Quis non offendatur numero nonario tantulo interstitio repetito, praesertim cum qui prius dicuntur ignes, iidem sint, usu poetico, qui postea stellae appellantur. Cfr. I, 655. III, 399. Met. VIII, 180. Verecundius igitur in tanto librorum consensu, sed tamen quaerimus, an mutatione facillima multo venustius dixisset ita poeta: Aurea per stellas nunc micat illa novas, mutatione litterarum non operosa; norunt enim, qui codd. legerunt in fine vocabulorum litteras s et m ita duci, ut aegre interdum discernantur. Ita Met. II, 752 Zw.: orbes pro: orbem III, 374: idem: admotas flammas V, 341: glebas VII, 181: terram. Locutio autem ipsa vere Ovidiana dicenda foret, cum innumeris praesertim Mett. locis ea, quae per transformationem fiunt dicantur nova, subita, ignota, recentia. Exempla possunt indices suppeditare, sed vocis: novus hunc usum habes hoc ipso Fast. libro v. 741 de apibus modo creatis, Met. I, 310; 315; 554; 540. II, 365; 377 et ita quovis fere libro aliquoties eas voces. Sed rem conficere videtur loci Met. VIII, 180 comparatio, ubi in eadem fabula:

Dumque volat gemmae subitos vertuntur in ignes.

Lib. III, v. 663. Plebs vetus et nullis etiamnum tuta tribunis
Fugit et in sacri vertice montis abit.

Ita edi consuevit hic locus inde ab Heinsio, ante quem extremo disticho legebatur: erat, quam veterum editionum lectionem revocavit Gierigius, repudiato istó: abit quasi duro et inconcinno. Ac sane etsi illa contractio pro: abiit non abhorret ab usu Ovidiano, de qua re vid. interpretes ad I, 107, constructio verbi: abire cum praepositione et ablativo casu haud tolerabilior h. l. videtur, atque Pont. IV, 1, 4, ubi eandem damnavit Heinsius. Quod si vero ornatius quid illo vulgato: erat in scriptura optimorum codd. latere debet, ita nisi fallor eruetur, si leviter corruptam esse statuamus et ita corruptam, uti saepissime alias legimus. Comparata autem scripturae discrepentia in his locis: Trist. IV, 1, 48; 82; 4, 58, additis Hsii Adversariis. p. 44, nihil frequentius permutatum invenies, quam verba: agere, abire, alere et: habere; de quorum vocabulorum apud Italos codd. scriptores similitudine adnotavit Bothius Vindiciarum principio. Quod si hoc, quem versamus, loco factum putetur, habere erit pro habitare, frequenti apud poetas usu. Ovid. Fast. II., 284; IV, 691. Rem. Am. 630. Tempora autem eundem in modum, quo h. l., saepe consociantur. Ita IV, 193. II, 191. V, 55 et cfr. de simili re Voss. ad Georg. I, v. 330.

Lib. IV, 336. Fluminis ad flexum veniunt, Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde sinister abit.

Quod h. l. legitur Ostia in codd. bonae notae quatuor et vulgaribus sex inventum est a Nicolao Heinsio. Ac cum nesciamus, quot hoc loco codd.

ex sexaginta quatuor illis, qui Fastorum habentur, inspexerit Heinsius, atque Hugenianum, Petavianum et qui praeterea sunt insignes, exhibuisse: Atria, quae fuit vulgaris lectio, tantum colligamus ex Heinsii silentio, librorum auctoritate forsan nihil agetur h. l. Restat igitur ut reliquis artis criticae adiumentis utamur, quaeramusque utra scriptum ad sensum sit praestabilior, deinde, utra ex altera facilius potuerit a librariis effingi. Ac de sensu quidem vulgatae Heinsius, qui nominis proprii requirebat mentionem, desperavit his usus verbis: nemo ex antiquis scriptoribus quod sciam Atriorum Tiberinorum meminit, de Tiberinis ostiis passim veteres." Haec tacito assensu omnes post illum comprobaverunt Fastorum editores. Neque nos a tanto DD. VV. numero seorsim facere mallemus, modo si isti scripturae conveniret cum iis, quibus proxime coniuncta est, verbis et cum totius loci adornatione. Nam etsi concedamus, quod pro argumento affertur, sinistrum Tiberis fluvii alveum ostiorum nomine dictum fuisse, tamen iam sermo est de ipsa fluvii in laevam partem inflexione eoque loco, unde sinister abit, si verborum spectes collocationem. Quam fluvii inflexionem Ostiorum nomine dictam fuisse nusquam legimus. Sed si vel de alveo ipso intelligendus esset Ovidius, non ideo pateret, cur priores tantum alveo sinistro ostiorum nomen tribuerint, quod postea etiam vulgatum esset. Quod autem non minimi est momenti, praecesserat v. 290 Ostiorum commemoratio his verbis:

Ostia contigerant, qua se Tiberinus in altum Dividit.

Post quae cum non nihil in itinere progressam esse navem e carmine ipso pateat, quae ista altera ostia sint, quo advehatur, difficillimum dictu est. His igitur de causis et cum Cellarii ille error in geograph. ant. t. II. p. 634, Aesculapii insulam Tiberinam eandem existimantis atque illam quae fit Tiberi per duos alveos in mare profluente, hodie non obtineat, quod si ita esset, non parum interpp. Ovidianorum rationi conveniret, lectioni: Ostia locum esse non putamus; idque ipsum Heinsium latere non potuisse, si ad praecedentia accuratius attendisset; quemadmodum aliquoties eum errasse constat, velut Metam. XIV, 345 factum. Ceteros autem editores maluisse Heinsium sequi, quam rationem denuo instituere, ne id quidem exemplis putaverim carere. Videamus igitur oportet, sitne tolerabilis altera veterum librorum scriptura: Atria Tiberina. Quam interpretatus est in ed. Mediolanensi 1510 Constantinus Fanensis ita: fabulantur ibi esse regiam Tiberini ubi flectitur fluvius sinistrorsum.“ Quod verissime eum adnotasse putamus; nam a t r i a dici a poetis domus paulo splendidiores notissimum et ita legitur Met. I, 172; II, 296; XIII, 968. Fluviorum vero deorum quae commemorantur habitationes ita potuisse dici et consentaneum est, et intelligitur e loco Met. VIII, 562 ubi de Acheloi fluvii antro ita:

Pumice multicavo nec levibus a t r i a tophis Structa subit.

Cuiusmodi antrum Tiberino quoque attribuisse veterum religionem, etsi non e Virgil. Aen. VIII init. patet, quem locum allegavit Marsus, alter interpres in ed. Mediolanensi, ipsorum tamen Fastorum V. 661 locus ostendit:

— ut vivo subiit rorantia saxo
Antra, leves cursum sustinuistis aquae.

Quod etsi ignoramus, quo loco situm fuisse antrum crediderint veteres, verosimile certe, reapse excavatam aliqua parte ripam fluvii, qualis esse plerumque solet ubique quum paulum inflectitur fluvii cursus, causae fuisse, cur ita crederetur; eiusmodi vero inflexio cum medio fere Tiberis fluvii inter Urbem et Ostiam cursu, et in sinistrum quidem partem in mappis geographicis notari soleat, antrum vix defuisse in ripa dextra editiore (Hor. I, carm. 2, 14.) suspicamur. Si quis vero Hsii verbis ideo fidem nobis est derogaturus, quia nusquam alibi eum locum pro Tiberini regia haberi possit probari, licebit, opinor, putare, solum Ovidium ut poetam finxisse, quem ea, quae ipse excogitavit nonnunquam maiorum auctoritate adstruere infra ad l. VI, 107: Cranen dixere priores, demonstrabimus. Postremo si quis non hanc sed superiorem scripturam in autographo fuisse credat, unde de atriis Tibernis, librariis in mentem venire potuerit non liquet: Ostiorum praeter rem meminisse, quorum frequentissima passim fit mentio, veri specie non caret.

Lib. V, v. 335—38. Tempora sutilibus cinguntur tota coronis:
Et latet iniecta splendida mensa rosa.

Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat et imprudens vertitur arte meri.

Horum versuum primo quod legitur: tota frigidum esse, et facile persentiri potest, et Heinsius animadvertit, qui scribendum censuit: pota, quicquid scripti codd. dissentiant. Quae quanquam per se facilis coniectura est, neque male convenit huic loco, tamen idcirco vera esse vix potuit, quia desiderabatur potius: potura tempora, non enim post potionem demum coronae sumebantur; et quod quinque codd., quos accuratius Heinsius non designat, uti fere solet, ubi a suo consilio recedere intelligit, et praeter Gryphianam editionem, quam Heinsius laudat, editiones nostrae Vicentina, Veneta, Aldina, exhibent: tecta. Quae scriptura cum ex illa: pota non potuerit effingi, aliam ut pro primaria habere debeamus, efficit. Tecti enim etiam Pont. I, 2, 25 in pluribus codd. legitur pro eo, quod verum est: laeti. Et h. l. laeta aeque distat a: a tota atque tecta. Usus autem loquendi idem est in scripturis: pota et laeta, de quo cfr. Hs. ad II, 100 Trist. V, 3, 3. Notio conviviorum et potionis vero non minus etiam sic inest. Versum quartum autem potissimum non recte interpretatos hactenus esse editores, constare videtur. Sive enim legatur: vertitur arte meri, et explicetur de saltatione, quo sensu dicatur illud arte meri nemo indicavit et si quis forte putet idem esse ac si dictum sit: virtute, munere, beneficio meri, certe nobis apud poetas latinos ita etiam: arte alicuius rei dici, defuit exemplum. Sive Gierigii sequaris interpretationem lectionis:

utitur etc., qui artem meri facundiam putat dici, quae imprudenter arcana prodat, ne id quidem tutius est, quia primum ita quoque ars meri durius dicitur, deinde quia imprudentiae et vero facundiae locus hic est nullus, ubi de iis rebus sermo est, in quibus coronarum usus obtineat. Quod si ad coniecturas confugiendum est, praesentissimam et facillimam loco medelam adhiberi putamus ita:

Saltet et imprudens utitur arte chori,

quo modo et sententiae consulitur, quia praeter rem nihil infertur, neque inepte sibi opponuntur vox: imprudens et artificium saltandi. Mutatio litterarum violenta videri non debet, cum littera: m in scriptura minuscula, sed elegantius exarata, lineam extremam utrinque aduncam soleat habere, ut minimo discrimine distet a litteris: ch. Deinde etiam e et o saepissime confundi constat. Ita in cod. Zwicc. Met. I, v. 214, 217. II, 250, ubi longo mora est, Cylleno et Spercheidos exstant. Denique de scripturis: utitur et vertitur, quae uno unciolo superposito distant, vix iudicium ferri possit, etsi quod paucorum codd. est, utitur magis placet. — Ista cum pridem coniecissemus, postea vidimus ad Trist. V, 1, 34:

Nulla nisi in studio Pieridumque mora est

Heinsium plane eodem modo neque praeter rem coniecisse: choro, et ad Pont. I, 5, 58. codd. ambigere inter: modis et choris; quae differentia ex eo, quo diximus, scribendi genere originem videtur ducere. Placet et aliam h. l. correctionem afferre, in qua miro modo nobis cum Nic. Heinsio convenit. Ponticorum libri IV, 10. v. 14., cum

posuisset poeta suorum cum Ulyssis fatis comparationem saepius repetitam, ita pergit:

An grave sex annis pulchram fovisse Calypso
Aequoreaeque fuit concubuisse deae?

qui posterior versus si te Calypso intelligitur, languet oratio, sin de Circe intelligendus sit, quam commemorari iure quodam exspectes, adiectivum: aequoreae non satis facit ad distinguendam a Calypso. Quare et sententia erit dilucidior, si legamus:

Aeaeaeque fuit concubuisse deae

et utetur Ovidius epitheto consueto, quamvis non nimis sonoro, velut Met. IV, 205:

Nec tenet Aeaeae genitrix pulcherrima Circes

et denique aequor cum derivatis eo scribendi compendio plerumque etiam in codd. venuste scriptis legitur, quod simillimum est isti voci, (aeq°'eae) quemadmodum etiam: aera et: aequora confusa habes Trist. II, 149. Igitur hoc quoque qualecunque inventum visum erat subvenire laboranti illi loco, cum postea legeremus ab Heinsio adverss. pag. 125 eodem modo locum Senecae emendatum. Quod ne ambitiose a nobis afferri putetur deprecamur, sed eo consilio, ut tanti olim viri iudicio de codd. etiam vetustorum erroribus uostrum adiuvetur.

Lib. V distichon ultimum ita edi solet inde ab Heinsio: Auferat ex oculis veniens Aurora Booten
Continuaque die sidus Hyantis erit.

Auferat se recepisse scribit e cod. Zulichemiano aliisque duobus; de reliquis altum apud interpretes omnes silentium, ut re vera intellexerint

nec ne ignoretur. Sed verisimilius, pro desperatis habuisse, ut qui ne varietatem quidem scripturae, cum possent, operae pretium putaverint supplere. Notum enim est, in epistolis Heinsii ad amicos saepissime de locis veterum poetarum iudicium ferri, quos in edendis ipsis auctoribus praeteriisse eum videas, ut si paulo subtilius de eiusmodi locis velis disquirere, usu sint maximo. Quod horum versuum confirmabitur exemplo. Sylloges epistolarum igitur Burmannianae tom. III in epistolis Heinsii et Gronovii de hoc loco agitur p. 380. Heinsii sunt verba: Ultimum libri V. distichon valde me torsit. Agit ibi de ortu Hyadum, quae heliace sub id tempus emergant. Sed cur eas sidus Hyantis vocat? an a fratre Hya aut matre? Non video, qui possit. Zulichemianus codex et alius: C o n t i n u u m q u e d i e s s i d u s H y a n t i s e r i t et A u f e r a t in superiori versu, quod postremum amplector. Expedi me hinc, si potes." Cui respondet Gronovius p. 382: In quinto Fastorum lego: Auferat.. Continuumque diem. Ubi Aurora amoverit occidentem Booten, si simul traxerit post se proximum vel continuatum sibi diem, illa nocte sidus Hyantis erit, nempe conspicuum. Ut alibi: Luna fuit. Nec possum dubitare sidus Hyantis ab Hyante fratre denominatum, cuius memoriam fatali sibi luctu sorores consecrarunt. Si quid melius, ex te discam." Ad haec Heinsius rursus p. 384: De sidere Hyantis opportune etiam mones, sic a fratre dictas Hyadas, idque ipsum noster alibi innuit istis: Nomina fecit Hyas, sed an Continuumque diem rescribi possit, dubito. No-

tant enim interpretes ortum heliacum sub hoc tempus incidere; si auctoritatem habent in promtu, qua id tueantur, nil ausim mutare, sed diligentius videbo." Gronovii explicationem recte videtur reiecisse Heinsius. Nam ut de locutione: sidus est, et de orationis molestissima obscuritate taceamus, difficile est intellectu, quomodo Aurora diem sequentem auferre dici possit, quae potius praecedit et inducit diem terris. Quemadmodum itidem perverse Heinsius in Fast. VI, v. 733 scripturam induxit:

Hanc quoque cum patriis Galatea receperit undis

et explicavit: hanc, i. e. Auroram; cum Aurora vesperi in mare descendere nusquam, quod sciam, legatur. Alia res est de oriente I, 652. Heinsianae autem epistolae locus certiores nos facit de scriptura cod. Zulichemiani. Est autem is codex, sive excerpta potius e codice pervetusto, ex praestantissimis, quibus Heinsius usus fuit, cfr. eiusdem iudicium Syll. III, p. 376, idemque cum Hugeniano, quod ignoravit Krebsius, qui praefationis p. XXI pro duobus diversis posuit et invicem novem ad minimum alios codices Heinsii omisit. Is codex cum plerumque optimas scripturas vel solus, uti II, 578 factum, conservaverit, nihil impediet, quominus h. l., si usus fuerit, potissimum spectetur. De sententia universa si quaeritur, qualis esse debeat, notabimus Hyginum in poetico Astronomico p. 421 ed. Munck. tradidisse, Booten cum Tauro, cuius caput sunt Hyades, occidere, vetusque calendarium, quod in codd. Fa-

storum libris praefixum habetur itidem heliace occidere Hyadas sub finem Maii dicere. Heinsius tamen veterum interpretum Constant. Fanensis et Marsi auctoritati obtemperavit qui cum circa id tempus oriri Hyades legerint, iam verba non amplius curarunt. Quod enim etiam Idelerus V. D. in libello de astronomicis in Ovidii Fastis, lecto in Acad. Berol. 1822. p. 154. propter astronomicas rationes hunc l. de ortu Hyadum qui dicitur heliaco accipit, verborum significatione id iudicium non adiuvari intellexit, quae obscura esse fatetur *). Quare, si probaverimus, de occasu Hyadum potius vespertino, quam de ortu matutino scripsisse Ovidium, ad partes vocatis iis, quae Idelerus monuit p. 145, 150, 163, 169, sq. de tot varii generis erroribus commissis, licebit credere Ovidium aut uno fere mense a vero occasu aberrasse, aut cum voluerit ortum exprimere, quod non semel accidit, occasum retulisse. Igitur cum vulgata scriptura

---

*) Lubet locos subnotare quibus interpretum opiniones calculos Ideleri turbarunt. Pagina supra laudata versum V, 603 accepit de pridie Idus, Gierigii secutus auctoritatem. Quod fieri nullo modo potest, sed intelligendae cum vetere Kalendario ipsae Idus; et: p r i o r dicitur is, quisquis est, quem proxime Ovidiis in his rebus coelestibus sequitur; quemadmodum ipse v. 601 a u c t o r e s suos, I, 293 p r i m o s, 309 d u c e s nominat. — P. 165 in loco V, 379 nescio quid eum permoverit ad interpretandum de IV. Non. Maias, cum Gierigius recte explicuerit de V. Non. Maias et tertia nocte a Calendis, uti iterum vetus Calendarium, cuius auctorem quosdam locos melius serioribus interpretibus intellexisse oportet. Sed exempla eius locutionis non addidit Gierigius, cuius ignoratio etiam Hsio fraudi fuisse videtur, qui coniecit: p i u s. Est autem locus geminus huic Pont. IV, 5, 7: l u c e m i n u s d e c i m ā, i. e. nona.

neque de ortu heliaco, uti visum Heinsio loco postremum citato et Gierigio, neque omnino intelligi queat, unice amplectendam esse scripturam excerptorum Zulichemianorum censeo, levissima facta mutatione, in hunc modum:

Continuumque die sydus Hyantis erit;

et versu priori: Auferet, quod vulgatum fuerat. In secundo versu litteram s delevimus, quae facile a sequenti vocabulo adhaerescere potuit, de quo tritissimo corruptionis genere vid. Loers. ad Her. I, 114; VI, 10; VIII, 73. Quod ad sensum attinet verba: sidus Hyantis continuum erit Bootae significant: Hyadum sidus continuum erit Bootae, continuabitur, e vestigio insequetur eum, quemadmodum dixit V, 415:

Hunc lyra curva sequi cuperet, sed idonea nondum
Est via; nox aptum tertia tempus erit.

Continuari autem et continuum esse ita dici, notissimum. Ita diem noctemque potando continuare Tac. Germ. 22. Ita: praeturam continuare aedilitati Vellej. II, 91. Et apud poetas: continuare saxa trabesque Ov. Met. XIV, 240. cfr. F. IV, 130. aliquos ferro Stat. Theb. IX, 292. — Dicit autem poeta, proxime sequi Hyadas Booten, quia arctissimo, quo potuerunt, post illum spatio occidunt: ille cum veniente Aurora supremum visus esset, ipsae sub vesperum e conspectu tolluntur; dicit ideo: die, sic nude, velut Met. II, 807: luce, i. e. interdiu eas inclinare in occasum, quia sequenti nocte conspicuae non sunt futurae. Similem in modum loquitur poeta II, 173:

Illa nocte aliquis tollens ad sidera vultum
Dicet, ubi est hodie, quae lyra fulsit heri?

quia enim lyra primo crepusculo evanescit, quasi interdiu occidisse dicitur.

IV, 903: Et frustra pecudem quaeres Athamantidos Helles

arietem occidere heliace dicit; quod ita expressit, quasi interdiu a coelo abierit.

Item I, 311 de Cancro: Ergo ubi nox aderit —
Octipedis frustra quaerentur brachia Cancri
Praeceps occiduas ille subivit aquas.

Sed locus plane geminus nostro est I, 655:

Sidere ab hoc ignis venienti nocte leonis,
Qui micat in medio pectore, mersus erit.

Nam quod dixit: sidere ab hoc (lyrae) idem est quod h. l.: Continuum Bootae erit. Versu altero autem item ut h. l. occasum vespertinum innuere voluisse Ovidium, dubium esse non debet, quamvis falsus sit, cum id tempus occasui matutino magis convenire dicant astronomi.

Fast. lib. VI, v. 107: Inde sata est Nymphe, Granen dixere priores.

Huius loci scripturae varietas, quae obtinet in codd. Mss., invenitur etiam in veteribus, quas evolvimus, edd. et in diversa abduxit nuperos editores. Ac codd. qui quid exhibeant, accuratius noluit Heinsius adnotare; quamquam I. G. Graevius initio praefationis ad Antiqq. Rom. to. VIII duas potissimum codd. familias esse affirmat, alteram legentium: Carnen, quam scripturam Graevii tantum testimonio novimus, alteram: Granen, et ipse magis probat priores. Addit Heinsius, in Mo-

reti et Mazarini codd., nisi est error typographicus, exstare: Gramen et in alio: Grangen, quem quamvis nominatim non dicat, non e deterrimis fuisse oportet, si veri speciem habebunt, quae mox sumus disputaturi. Veterum edd., quas usurpavimus Aldina et Mediolanensis expressum habent: Cranen. Veneta et Vicentina Celsani: Granen. Hoc ediderunt Heinsius, Burmannus, Gierigius, Mitscherlichius et qui illos secuti. Illud revocaverunt Krebsius et Weberus in Corpore latt. Poet. Adnotavit Heinsius, ipsum eius nymphae nomen, quo culta esse Romae videatur, ab aliis scriptoribus tradi: Carnam, uti etiam est in lemmate Kalendarii a Graevio editi. Verum id, de quo deduxisse illud Ovidium patet, quale putandum sit, nemo investigavit praeter Graevium l. l. qui tamen cum tantum terminatione graeca diversum fuisse censeat, non persuadet. Neque enim si nomen antiquitus traditum Ovidium ponere voluisse putemus, id nomen graecam formam habuisse, consentaneum est, cum Italorum mythologiae id numen fuisse pateat, neque Ovidianae est consuetudinis tum parvi discriminis antiquitates curiose addere. Contra, nisi nimis inepta essent, quae Const. Fanensis et Neapolis adscripserunt, quorum ille: est autem grammi linea, unde dicit: Nodosusque cava etc." hic: prius, inquit Noster nominata Crane, quasi dicas ni fallor: κραιπνόν. nam statim sequitur: Rura sequi iaculisque etc." — possent illi rectam viam institisse videri. Nam si in unum conferamus, quae eiusdem sunt generis: lib. I, 103 Ianus loquitur:

Me Chaos antiqui, nam res sum prisca, vocabant

v. 551 de Caco, allusione facta ad nominis significatum:

Non leve finitimis hospitibusque malum.

II, 599: Forte fuit Nais, Lara nomine, prima sed illi

Dicta bis antiquum syllaba nomen erat.

ubi nullum locum attulerunt interpretes, quo eiusdem etymologiae mentio fieret.

V, 195 Flora de se ipsa haec:

Chloris eram, quae Flora vocor. Corrupta latino

Nominis est nostri littera graeca sono.

Hinc igitur patet Ovidium in duplici nominis alicuius forma referenda id spectasse, ut altera appellatio ex altera explicationem haberet; non igitur facile addidisse nomen, cuius significatio in promtu non eset. Deinde, plerumque antiquitatis praetextu usum in iis, quae ipse finxisset. Quo fit, ut hoc quoque loco desideretur aliquid, unde Carnae appellatio cum specie quadam possit derivari, ac de eo, fueritne revera veterum memoria istud alterum nomen traditum, solliciti esse non debeamus. Unde nobis suspicio venit legendum esse:

Inde sata est nymphe: Cranaen dixere priores

levissima mutatione, si istam cod. scripturam: Grangen spectes, quae litterarum c, g et a similitudine excusatur; sin vulgatam utramque, ista incredibili confusione, qua nomina propria fere semper vexantur in codd., ut feliciter plerumque

eveniat, si unus vel duo accedant ad id, quod verum esse constat. Significaret illud nomen ex adiectivo Homerico fictum: in rupibus degentem, quo adludit poeta, v. 125: sub rupe latentem memorans. Maiorum autem auctoritate istud commentum munivit eodem iure, quo locis supra laudatis Iani a Chao, Florae a Chloride denominationem; cfr. quae diximus ad lib. IV, 330.

Lib. VI, 267 sq.:

Vesta eadem est quae terra, subest vigil ignis utrique;
Significant sedem terra focusque suam.

Ad quem locum Const. Fanensis et Petri Marsi explicationes, quae tam contortae sunt, ut nihil in iis intelligas, piget adscribere. In Burmanniana editione nihil interpretationis iudiciive de toto loco legitur. Igitur Gierigius haec adnotavit: Terra et ignis forma illa rotunda significant, ibi esse sedem suam; quae interpretatio verbo tenus fere convenit cum Galli hominis cuiusdam explicatione, quam eiusdem nationis interpres ai 1804 commemorat ac deinde addit: Cette interpretation n' explique rien. Elle laisse à deviner ce qui Ovide a voulu dire.“ Putaveris tam vere iudicantem aliquid conferre ad loci intellectum; nihilo tamen saniora sunt, quae ipse affert: Nam terra est in medio loco totius mundi et focus ille est in medio templo: sic ostendunt sedem suam.“ Neque denique Lenzii, quam Gierigius commemorat, ratione quicquam proficitur, qui suam pro: eius positum iudicasse dicitur, ut sensus esset: forma rotunda terrae et focus describunt templum Vestae, sunt ei propria.“

Quarum interpretationum omnium obscuritas neque Ovidio convenit, nec si vel maxime conveniret, verbo: significat usus fuisset poeta, sed si quid video verbo: testificor vel eiusmodi.

Sed licebit tandem missas facere istas ineptias et quomodo locus nostro iudicio corruptus legendus esse videatur, aperire. Neque corruptum esse primi animadvertisse videmur: in commentatione enim Petri Violae edita in Thesaur. Graeviani t. VIII. p. 173 hic versus ita citatur:

Significant sedem terra focusque simul,

quae nisi quod violentior est coniectura, paene convenit cum hac nostra:

Significant sedem terra focusque tuam.

Quae emendatio minimo dispendio sententiam efficere ex inepta aptissimam videtur. Nihil enim frequentius commutatum a librariis, quam pronomen secundae tertiaeque personae; idque absque causa palaeographica. Sed vide locos hosce: F. II, 246. 624. IV, 64. VI, 374. 432. 676. Trist. II, 168. 438. III, 7, 4. Met. II, 175. s et t confusae in cod. Zwiccav. De correctionis facilitate satis, opinor, dictum. Restat, ut de sensus commoditate exponamus: Vestae numen nonnunquam cum igne et vero foco, qui sustinet ignem, confundi apud poetas atque ipsum Ovidium constat, sive id factum sit graeci nominis memoria, sive e philosophorum placitis fluxerit, sive ex more Romano, quo praeter focum et ignem alia nulla effigie culta Dea fuit, quod ipse poeta expressit v. 295 sq. Sicuti igitur domina focorum audit v. 317 et ignea Vesta v. 234, ita v. 301—4 aperte focum pro Ve-

sta ponit poeta: Dicit enim focos in prima aede fuisse eamque ob causam Vestam adorari his verbis: quae loca prima tenes. Ita lib. III, 141:

Vesta quoque ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.

v. 417: Cratera Iliacis turaque pone focis. IV, 296: Quaeque colunt sanctos virginitate focos h. e. Vestam. Quod igitur dixit poeta hoc est: Vestae numen a Terra non esse diversum, inde probari posse, quia vocabula: terra et focus, qui pro Vesta etiam est, eandem tertiam rem interdum significent, nimirum: patriam, sedem, itaque debeant nec ipsa diversa esse. Usum loquendi illum innuit, quo in Trist. modo dixit: V, 11, 18:

Nil nisi me patriis iussit abesse focis,

modo lib. I, 1, extr. ita: nobis habitabitur orbis

Ultimus, a terra terra remota mea.

licebat enim utroque loco dicere: sedem, veluti Tibullus II, 4, 53 sq.:

Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas,
Ite sub imperium sub titulumque Lares.

Haec igitur ad lectorem conversus dicit poeta, usus pronomine: tuam, quod fecit etiam I, 135: missi tibi nubibus atris signa dabunt imbres. III, 116; III, 274 sec. Heins. IV, 418. Sed quod hoc pro argumento ponit, facete facit et more suo, quomodo et ubique fere et illo versu II, 52:

Qui sacer est imis Manibus imus erat.

ludit enim item in diverso verborum significatu. Ceterum, modo si satis suo more loqui Ovidius videtur, licebit subscribere iudicio Burmanniano proposito ad III, v. 113: „Ceterum ambigua hic et

duplex vocis significatio ad ineptias luxuriantem poetam deduxit: neque enim omnia in Nasone laudanda esse puto."

Ita cum commonstraverimus, quanta sententiae conversio cum unius litterae mutatione coniuncta esse possit, licebit id pro appendiculo alius adhuc loci exemplo confirmare, qui legitur Pont. I, 7, 63:

Quod si permittis nobis suadere, quid optes,
Ut des, quam reddas plura, precare deos.
Idque facis, quantumque licet meminisse, solebas
Officii causam pluribus esse dati.

Versu primo cum codd. plurimi et vett. edd. exhibeant: quod optas, eorum verborum primum recipiendum censemus propter locum simillimum Am. I, 6, 23. Atque in hoc rursus si legas: optes,

Redde vicem meritis: grato licet esse; quod optes?
Tempora noctis eunt, excute poste seram.

nihil restabit, quod interpretem morari possit, quorum nemo hactenus illum locum potuit explicare. Quod in interrogatione sive directa, sive indirecta ita poterit locum habere, ut in Augusti illis verbis apud Suet. c. 58: quod habeo aliud votis precari Patres Conscr. etc. et F. V, 313 per quod fierem manifesta doloris? Verum in quarto illorum, quos posuimus, versu aut interpretando, aut emendando sategerunt editores. Heinsius adnotavit: latet ulcus, aut versus est spurius." Burmannus has coniecturas confinxit, aliam alia nequiorem:

— solebas
Officii merces pluribus esse dati;
vel: — volebas
Officii causam pluribus esse datam:
vel denique — volebas
Officii causam pluribus esse data.

Admonemur Homeriei illius: ῥηΐδιαι δὲ γοναὶ τέκνα δ᾽ οὔποτ᾽ ἐοικότα πατρός. Sed cum neque codd. neque vett. edd. quicquam suppeditent, nobis rescribendum esse videtur: Officii causam pluribus esse pati. De quo eleganti et urbano loquendi genere cfr. Heins. adverss. p. 537 Gronov. obss. I, 14. Sensus igitur erit: non recusasti aliis gratificari, eorumque officia mereri. Confusionis litterarum D et P, quae facillima est in scriptura vetustiori, exempla exstant in adn. Heinsii ad F. II, 598 et Trist. II, v. 476.

F. VI, 750. Quam nefaria interdum audacia magnus N. Heinsius usus fuerit in versibus obelo confodiendis inque codd. adhibendis levitate, in hoc disticho intelligi potest. Primus enim ille de disticho tollendo sententiam dixit, virorum doctorum non paucorum nactus assensum. Sed neque qui pro sano venditarunt, rectius rem gesserunt. Igitur emendare coeperat Heinsius, sed tanquam poeniteret operae in disticho, quod spurium tamen esse decrevisset, correctorem agere, viam auspicatissime coeptam reliquit. Restituerat igitur:

Tunc cum observatas anguis descendit ad herbas
Usus et auxilio est augur ab augue dato

commutatis invicem iis, quae in diversis lineis sibi

essent superposita, et adhibita fabulae notissimae narratione ex Hygin. F. 136 et P. A. 2, 14. Quae erat satis proclivis emendatio. Sed de observatis herbis quae dicuntur, sane quam interpolatorum redolent artificium. An igitur tanti erat, trium codd. scripturam variantem in censum vocare, vel potius primo adspectu veram agnoscere? Habent enim pro herbis usitatissima confusione, quam et nos in codd. plus semel deprehendimus et de qua Heins. adverss. p. 24 adnotavit: umbras. Quod significat: cum ad Glauci corpus emortuum, quod a Polyido observabatur, h. e. custodiebatur, anguis accessit; sive descendit, quia in carcere subterraneo secundum fabulam hic cum illo erat inclusus. Quod non debebat latere Heinsium, qui de locutionibus: umbras tumulare, condere, simil. ipse egit adverss. p. 17. poteratque scire, umbras interdum a poetis pro cadavere nondum cremato aut sepulto poni, vel ex illo Met. 8, 496:

— gelidaeque iacebitis umbrae?

quem versum quoties legisse Heinsium credibile est? Sed aliud agebat haud dubie vir summus et emendando puto versui proximo 757 iam erat intentus; prae qua emendatione nostro iudicio sordent, quotquot post Heinsium ad hanc diem in totum Ovidium coniecturae scriptae sunt. Certe huius, quem absolvimus, loci restitutio non tam magnam nobis laudem afferet, quam iis levis notae maculam, qui tam facilem nobis reliquerunt.

T H E S E S.

I. Artis criticae usum nunquam cessare posse in antiquitatis studiis, contendo.

II. Cic. pro Rosc. Am. c. 38. §. 110. ex oj. legendum est: hisce aliqua serta mora (pro: fretos mora) semper omnes aditus ad S. praecidere.

III. Plin. Nat. hist. loco laudari consueto ad Hor. 2 Sat. 3, 239 legendum: prius id fecerat Romae in unionibus magnae taxationis Clodius — ut experiretur ingluvie palati etc. pro: in gloria palati.

IV. Theoc. carm. VII, v. 73, 74 scribendum videtur:

X ὢς ὄρος ἀμφεπονεῖτο καὶ ὥς δρύες αὐτὸν ἐθρήνευν
Ἱμέρα αἵ πεφύαντι παρ᾽ ὄχθαισιν ποταμοῖο

pro: *αἵ τε φύοντι.*

V. Ovid Fast. III, 690. explicandus est e loco Pausan. VIII, 38.

VI. Ovid. Fast. V, 627 vulgatae scripturae praestare videtur, quod editiones sec. XV. Veneta Vicentina, Aldina habent:

Falcifero libate seni duo corpora gentis;

cfr. Vechner. Hellenol. I, p. II. c. 24.

VII. Trist. II, 543 emendandum est ita:

Praeteriit toties irrequietus eques.